METHODUS COGNOSCENDI CAUSSAS,

Duobus Libris explicata.

Quorum primus est, De *Inventione* Caussarum.

Secundus, De Caussarum *Examine*, ad veras falsásque dijudicandas.

Opus antehac desideratum; ad perfectam rerum cognitionem utilissimum: quia nulla res perfectè sciri potest, nisi ejus Caussæ cognoscantur.

Autore THOMA ISACIO, à Pollesso.

LONDINI,
Typis *Guil. Du-gardi*. Veneunt apud *Octavian. Pulleyn*, ad insigne *Rosæ* in Cœmeterio Paulino.
M D C L.





Methodum Cognoſcendi Cauſsas, à Thomâ Iſacio *& eruditè & dilucidè conſcriptam, perlegi: cámq ad rerum Cauſsas tum inveniendas, tum dijudicandas utiliſsimam eſse cenſeo.*

Ja. Armachanus.





PRÆFATIO.



CAUSSARUM cujusvis rei cognitio, longè reliquis ejusdem cognitionibus anteferenda est. Quippe quæ dignitate omnium nobilissima est, ac proinde contemplanti jucundissima. Quantò enim res quæque nobilior, tantò ejus cognitio jucundior: neque res alias quascunque contemplando, sentimus animum tantâ perfundi voluptate. Quinetiam Caussarum cognitio non solùm utilissima est, sed necessaria, tum ad res perfectè sciendas; tum ad res agendas, prudenter deliberandas: nulla enim res perfectè sciri queat, nisi ejus Caussæ cognoscantur: & tum demum rem scimus, quando Caussam ipsius cognoscimus. Quâ nobilissimâ cognitione, brutis animantibus denegatâ, solus Homo donatus est: ut, qui rerum Caussas animo concipit, illum demum esse Hominem dicas. Jam in rebus agendis, quicquid prudenter consultare, & agere velimus; sive, ad bo-

quodlibet

num obtinendum, aut conſervandum; ſive ad malum tollendum, aut præcavendum; ejuſdem Cauſſas priùs perſcrutari, ac comprehendere oportet: propterea quòd illis poſitis, ponuntur ſui effectus; ſublatis, tolluntur; impeditis, prævertuntur. Quæ iccirco non ſolùm à veri contemplatoribus, ſciendi ac contemplandi gratiâ; verùm etiam ab omnibus, qui in agendis rebus verſantur, conſultandi, agendíque cauſſâ, inquiruntur: itaque in unaquaque arte, prudentiores cenſentur ii, qui effectuum Cauſſas aſſequuti ſunt. Vt meritò à poëta dicatur

Felix, qui potuit rerum cognoſcere Cauſſas.

Cauſſarum igitur cognitio maximè expetenda eſt, ſummóque ſtudio quærenda.

At enimvero nihil eſt tam difficile cognitu, quàm rerum Cauſſæ; nulla diſquiſitio moroſiſſimis perplexitatibus æquè involuta: ut mens humana, ad Cauſſas contemplandas, perinde ſe habeat, ac Veſpertilionum oculi ad Solem intuendum. Quapropter de eis ſumma etiam ingenia ſæpenumero conqueruntur.

Veruntamen rerum Cauſſas proculdubio longè faciliùs, ac feliciùs perveſtigare, & veras, falſáſque exactiùs, cer-

tiùſque

tiúſque dijudicare, ac dignoſcere poterimus, ſi modò rectam eas cùm indagandi, tum examinandi viam ac rationem noverimus. *Equidem veritatem eorum quæ inquiris*, (aït Galenus) *inventurum te affirmo, ſi primùm initium viæ, quæ ad eam ducit, cognoveris: à quâ aberrans, in permagnam Verborum captionem decides. Eſt autem principium, dimidium, &* (ut Plato aït) *totius operis maximum.* Atq; D. Auguſtinus, *Quum intueretur* (ut aït) *mentem humanam, tam vivacem, tam ſagacem; non putabat latere veritatem, niſi quòd in eâ quærendâ modus lateret.* Si igitur ratio & modus rerum Cauſſas perquirendi, & dijudicandi, doctis viris probè cognitus fuiſſet, haud dubiè, & plures veras rerũ Cauſſas reperiſſent, & innumerabiles ſuos de eis errores ipſimet correxiſſent, nec eos unquam in lucem edidiſſent. Quòd ſi nos rerũ Cauſſas, arte & rectâ viâ ac ratione inveſtigabimus, atque examinabimus, eas proculdubio multò expeditiùs, ac meliùs, tum inveniemus, tum judicabimus, quàm ſi temere, ac ſine arte diſquiremus. Itaque Methodus cognoſcendi Cauſſas rectè tradita, utiliſſima futura eſt Philoſophis, Mathematicis, præſertim in Opticâ, Theologis, Medicis, at-

que omnium omnino artium ac ſcientiarum ſtudioſis. Nihil enim fit ſine Cauſſâ: nec ſine ejus cognitione, quicquam perfectè ſciri poteſt. Quinetiam non minus utilis eſt iis, qui res geſtas, vel in Experientia, vel in Hiſtoriâ prudenter, & utiliter obſervare, & perfectè cognoſcere cupiunt: eos enim Cauſſas eventuum, tum bonorum, tum malorum, exquirere, & examinare oportet: ut cognitas illas, imitari: & has, vitare ſciant. In quo præcipuus cognitionis rerum geſtarum, tum in experientia, tum in Hiſtoria fructus conſiſtit. Ad quam quidem Methodum, ac diſquiſitionem planè ac plenè explicandam, duo (meâ quidem ſententiâ) neceſſariò declaranda ſunt: quorũ primum eſt Inveſtigatio ſeu Inventio Cauſſarum; alterũ, eſt earũ Examen, ſive Judicium. Nulla enim Cauſſa ſciri queat, niſi judicetur: neq; judicari poteſt, niſi priùs aliquid pro Cauſſâ inveniatur judicandum: veram autem rei Cauſſam, ſi rectam ſcrutandi viam ignoremus, non poterimus invenire, niſi caſu. Ad utrumq; verò, *i.e.* tum Inquiſitionem, tum Examen Cauſſæ dirigendum, tradendi ſunt *Loci*, ac *Regulæ*, ſive *Canones* argumentationum. Canones autem ad Cauſſas ex-

aminandas, duplices esse debent; alii, *Refutationis*; è quibus refutantur, ac judicantur, quæ non sint Caussæ: alii, *Confirmationis*; ad veram rei Caussam confirmandam, ac dijudicandam. Denique utrique Canones Exemplis argumentationum utriusque generis, *i. e.* tum refellentium, tum confirmantium, illustrandi sunt. Quâ methodo ad hanc rem optimè atque utilissimè explicandam, nulla accommodatior reperiri potest. Cujus hac in re novitate, si quis offendetur, animadvertat is, quâ methodo *Topica generalia*, quæ vulgò *Topica* absolutè appellari solent, à plerisque recentioribus Logicis tractentur: itémque ex *Specialibus Topicis*, ea quatuor, quæ ab Aristotele explicata sunt: nimirum de Examine, (seu ut ipse vocat) de Problemate Generis; Definitionis; Proprii; Accidentis: & planè eandem esse comperiet. Ac sanè cuncti Loci Logici (quos alii, Argumenta; alii, Terminos simplices vocant) ad eorum examen declarandum, nullâ aliâ methodo æquè commodè explicari possunt. Vt mihi dubium non sit, Aristotelem reliquos Locos, *i.e.* Caussas, Effectus; Subjectum; Divisionem; &c. (Si modo illorum etiam

Examen edocendum aggreſſus eſſet, eâdem Methodo explicaturum fuiſſe. At verò multa Ariſtoteles aliíque antiqui non peregerunt: nec ſanè ob ingenii inopiam, ſed temporis. Eſtque hæc doctrina *Ætiologia* quædam; non quidem Theoretica, aut Metaphyſica; ſed practica, & pars Dialecticæ: adeóque neceſſaria, ut ſine ejus cognitione, nemo perfectus Logicus meritò habeatur.

Quis autem autor, aut vetuſtius, aut recentior exſtat, qui talem Cauſſas cognoſcendi, *i. e.* inveſtigandi, atque examinandi methodum tradiderit, aut ſuſceperit? Dices, opinor, nonnullos recentiores, viros doctiſſimos, traditis in ſuis Logicis operibus Cauſſarum Canonibus, hanc rem ſatis edocuiſſe: qui igitur, poſt tantos autores, de eis ſcripturus eſt, aut eadem dicat, neceſſe eſt, aut deteriora: quorum alterum ſupervacaneum eſt; alterum etiam noxium. Rogabis igitur quare illi mihi non ſatisfaciant, quídve amplius deſiderem. Reſpondeo, De Inventione Cauſſarum nec illi Logici, nec alius quiſquam (quod equidem ſciam) quicquam omnino hactenus præcepit, eáque propterea etiam doctiſſimos viros paſſim

latere

latere videtur. Solum autem Examen Caussarum quidam Logici aggressi sunt docere; sed ità, ut sese in eâ re parùm prodant exercitatos. Locos enim & Canones à cognatis Caussis omnino prætereunt. Canones quidem aliquot, seu Axiomata de Caussarum Affectionibus tradunt: sed ejusmodi tantùm, qui non nisi ad refellendum, & judicandum quid non sit Caussa, valent. Quam tamen refutationem, neque plenè explicant, neque planè satis: sed & mancè, quia multos utiles Refutationis Canones omisere; & nimis obscurè, quoniam eosdem, quos tradunt, Canones, Exemplis Argumentationum refellentium annexis, non illustrârunt. Neque verò satis est docere, quo pacto falsum refellatur; quin oportet etiam declarare, quâ ratione & modo verum confirmetur, ac judicetur. At enimvero Canones confirmandi, ac judicandi veras Caussas, Logici neque tradidere, nec ullam eorum mentionem fecere. Quapropter neque studiosi satis juvantur illorum præceptis, ad refellendum, & judicandum quæ non sint Caussæ; neq; quisquam ex eisdem veras rerum caussas, aut invenire, aut judicare, ac cognoscere queat. Quæ quidem omissiones, quoniam à

ne-

nemine (quod ſciam) animadverſæ ſunt; meum de illis judicium viris doctis perpendendum expoſui: ut illud, aut redarguant, ſi falſum; aut approbent, ſi verum.

Quoniam igitur doctrina hæc tam utilis, támque neceſſaria, à nemine hactenus pertractata eſt, eam equidem non gravarer tractandam ſuſcipere, ſi mihi ipſe confiderem. Sed quis ego ſum? aut quæ in me eſt facultas ad rem tam arduam exquirendam, & explicandam? Quæ profectò requirit ingenium, judicium, doctrinam, & diligentiam non mediocrem. Haud tamen deſperandum putavi, in re novâ, necdum ſatìs excultâ, me non nihil ſtudio ac labore excuſſurum, ſi anniterer. Cœpi igitur in rem inquirere, & quò res difficilior eſt, quóque minùs ingenio poſſum, eò majorem diligentiam adhibui: ac diuturno ſtudio, ſæpius autem (dum Anglia bello inteſtino flagrabat) intermiſſo, tandem hoc qualecunque opuſculum conſcripſi.

Ad quod tractandum nullam ego aliam rationem ac viam, nulla alia præcepta diſſerendi ac ratiocinandi ad rerum Cauſſas cognoſcendas, quæſivi; neque alia quærenda, aut docenda cenſeo, præter illa

ipſa quæ cum uſu bene differentium de rerum Cauſſis: conveniunt nimirum tanquam principia, & fundamenta, *i. e.* Loci, ac Canones è quibus Argumenta Cauſſarum, aut veras confirmantia, aut falſas refutantia ducuntur, quæq; iis nituntur. Quos Locos, ac Canones non numeravi, ſed ponderavi: & utiliores tantùm eligens, reliquos tanquam nullius, aut perexigui momenti, repudiavi: tametſi ex eis apud autores nonnunquam argumenta ſumuntur: velut à teſtimonio humano; ab etymo vocis; à definitione rei, quando à Cauſſâ ſumitur; aut quoniam alia probabilior Cauſſa (ut quandoque aïunt) afferri non poteſt: & cæterarum ratiuncularum præceptiunculas. Qualibus hanc doctrinam onerari & dedecorari nolui; memor Senecam à Quintiliano reprehendi, quòd nonnunquam *minutiſsimis ſententiis rerum frangit pondera.* Spero autem in tantâ argumentorum de rerum Cauſſis copiâ, quæ apud optimos autores in ſuos Locos, ac Canones reſolvi, & reduxi, vix ullum Locum, aut Canonem alicujus momenti, noſtram obſervationem effugiſſe. Canones controverſos, aut qui dubii videantur, breviter efficaciori aliquâ ra-

tione

confirmavi. Et unusquisque Canon potest à Lectore inductione axaminari, atque si verus sit, probari. Quin etiam eorum veritas tacito quodam doctorum virorum testimonio comprobatur; quandoquidem in ipsorum argumentis, quæ in exemplum adduxi, tacitè præsupponuntur, tanquam eorum principia, & fundamenta: quæ locum Majorum propositionum in Syllogismis obtinent. Aliquot autem Canones Confirmationis, arbitror adhuc carere nonnullis limitationibus, ut fiant certi, ac perpetuò veri: quæ ubi repertæ fuerint, addendæ sunt. Non enim me latet, quanto cum periculo universalis propositio enuncietur; quæ minimâ quâvis instantiâ contrariâ destruitur. Attamen Loci eorum (ni fallor) rectè traditi sunt. & illi ipsi Canones, qui non usquequaque veri sunt, saltem ut probabiles recipi possunt, nec qui eos non admiserit pro certis, & necessariis, rejecerit pro inutilibus: quandoquidem etiam in differendo de rerum Caussis, viri docti haud rarò probabilibus utuntur argumentis, præsertim ubi necessariis carent. Nónne Medici sæpenumero conjicere morbi Caussam coguntur, dum eam nondum certò scire possunt?

Id-

Idque ſæpe non inutiliter ad morbi Cauſſam tollendam. Quod etiam in aliis malis, omnibus hominibus uſu venit.

Denique, Præcepta omnia, Exemplis argumentationum annexis, illuſtravi. Quæ è variis artibus, ſcientiis, & hiſtoriis delegi: quò ampliſſima hujuſce doctrinæ ad cunctarum rerum ſcientiam utilitas, clariùs eluceat: eóque magìs materiarum varietas legenti arrideat. Atque pleraque Exempla ſunt etiam ſelecta ex optimis utriuſque linguæ autoribus, maximè ex Ariſtotele; eorúmque nomina & locos ſubjunxi; nè quis ſuſpicetur Præcepta hæc, præſertim quæ nova ſunt, Chimæras eſſe quaſdam in noſtro cerebello confictas: quin ut ea cernant cum uſu & argumentationibus graviſſimorum autorum convenire, nihílque aliud eſſe niſi eaſdem Regulas ratiocinandi, quibus illorum, imò omnium de cauſſis rectè diſſerentium, argumentationes nituntur. Quibus non nuſquam etiam mea ipſius argumenta inſerui; præſertim ubi nulla mihi autorum ſatìs idonea ad exemplum occurrebant: utpote non ſatìs dilucida, aut brevia; aut gravia. Neque verò mea exempla omnia ex vero antecedente concludunt. Sed non

nulla

nulla ex ſuppoſitione: id quod ad Canonum uſum, & argumentationis conſequentiam declarandam ſufficere poteſt: ac proinde etiam Ariſtoteli in exemplis uſitatum. Et quanquam pauca argumenta plerumque è plurimis autorum elegi, brevitatis gratiâ, atque ut evitem ſuſpitionem jactandi lectionem, quam oſtentationem tanquam vanam ac puerilem ſemper contemſi; ad aliquot tamen præcipuos Canones, plura exempla, quàm ad illuſtrationem opus ſit, congeſsi: propterea quòd ea haud injucunda fore exiſtimavi. Sin id alicui minùs placeat, remedium in promptu eſt: cùm liceat pauca legere, reliquáque præterire.

Cùm verò in rebus docendis, aut diſcendis, nihil ordine pulcrius ſit, aut utilius, vehementer expetivi Præcepta noſtra commodiſſimo ordine digerere. Quia verò illi qui affectiones, aut axiomata Cauſſarum in Logicâ, aut Metaphyſicâ, aut alibi tradiderint, ea non ſatis accuratè diſpoſuerunt; quin ſæpe præpoſtere naturâ priora, poſterioribus poſtpoſuerunt; et poſteriora, prioribus præpoſuerunt: ut neminem repererim cujus ordinem tanquam perfectum exemplar mihi hac

hac in re ad imitandum proponerem; idcirco id oneris in meipſum ſuſcipere coactus ſum. Et in locis Cauſſarum, naturæ ſeu dependentiæ ordinem ſecutus ſum. Itémque in Canonibus ejuſdem Loci, Canonem Refutationis Canoni Confirmationis præmiſi: ac conſimiliter in Canonibus Refutationis, plerumque affirmativum, negativo: quoniam hic ex illo dependet. Cujus ordinis beneficio, non ſolùm universa tractatio pulcrior redditur; verùm etiam Præceptorum intelligentia, ac memoria magnopere juvatur: prius enim quodque præceptum, poſterius quod ab eo pendet, ad memoriam facilè revocare poteſt, perinde ac in catenâ annulus annulum trahit. Necnon in exemplis quoque collocandis, ordinem aliquem ſpectavi; ut clariora, minùs claris; & brevia, prolixis anteponantur.

In Oratione, brevitati, ſimúlque perſpicuitati ſtudui: quod utrumque in re obſcurâ conjungere, arduum eſt. Verborum autem ornamenta tanquam in hac re docendâ ſupervacanea, neutiquam curavi: cum hujuſmodi materiam ornatè velle dicere, teſte ipſo Cicerone, puerile ſit. Satis autem eam ornatam arbitror argumenti

gravitate

gravitate, utilitatéque doctrinæ. Habes consilium, & formam nostri operis.

Cæterùm, ut ingenuè fatear quæ præcepta ab aliis acceperim, ea sunt Axiomata illa Affectionum Caussarum, quæ à Metaphysicis, Logicis, Physiologis, Theologis, Medicis, aliisque jam antea tradita, aut repetita fuere: quæque valent ad refellendum duntaxat: nec autores dissimulavi. Reliqua Caussarum Axiomata, quæ ad propositum hujus disquisitionis scopum, & finem inutilia, aut saltem parùm utilia sunt, nobis in eâdem prætermittenda censui. Qualia multa à Metaphysicis magìs ad naturamCaussarum contemplandam duntaxat, quàm ad practicum, & utilem in rerum caussis inquirendis, ac judicandis usum, tradita sunt. Quantum enim ad nostrum institutum opus, & usum sufficiat, tantundem in eo dicendum.

Quid igitur hîc novi? dices; quidve de tuo affers, quod rem literariam augeat, ac locupletet? Multa equidem præterea ad plenamCaussarum disquisitionem necessaria, & tamen hactenus desiderata, observavi & addidi; nimirum, non paucos Refutationis Locos, ac Canones. Ac præterea, præcipuas, & utilissimas hujus Methodi

thodi partes , ac præcepta : quæ ſunt de Inveſtigatione , atque de Judicio verarum Cauſſarum. Denique Canonum Refutationis , ac Confirmationis uſum , Exemplis argumentationum ſimilium , illuſtravi. Quæ omnia à majoribus noſtris præterita eſſe , non eſt magnopere mirandum ; quandoquidem id accidat diſciplinis ferè omnibus ; in quibus , permulta , (nè dicam, cum clariſſimo Philoſopho Fracaſtorio , infinita) adhuc deſiderantur. Quæ proinde præſentibus , & poſteris pervestiganda ſuperſunt. De quo non eſt illis deſperandum : ſiquidem recentiores, (ut aït Plato) non cederent antiquis , niſi ob reverentiam erga mortuos ; & invidiam erga vivos. Nec enim exiſtimandum eſt naturam recentioribus ſeculis , ſaltem poſt Diluvium univerſale , in deterius degeneràſſe ; & tanquam aſinum ad molam, fatigatam eſſe , & imbeciliorem redditam. Id quod juſtis operibus à recentioribus nonnullis eàdem de re, Anglico , Italico , Gallico, ac demum Latino ſermone conſcriptis , comprobatum eſt. Denique quis neſcit multa præclara antiquis ignota , à recentioribus inventa eſſe ? Multi tamen mordicus tenent , Majores noſtros nihil ignoràſſe : quibus

quibus ingeniis nihil infelicius esse, meritò censet Julius Scaliger. Cujusmodi viros hanc lucubrationem statim ac temere damnaturos opinor: tantummodo, quia novam, & Majoribus nostris intentatam. Qui verò vetera, citra superstitionem; nova, sine invidiâ; & utraque, pari libertate & æquitate judicare possunt, eos solos prudentes, & æquos hujus operis judices futuros arbitror: talésq; mihi ejusdem censores exopto. Quoniam autem nihil unquam inventum fuit, ac primordio suo perfectum, ut rectè aït Apuleius: haud dubito multis hanc disquisitionem vitiis, atq; erroribus laborare: tum propter innatam rei obscuritatem, & tractationis novitatem; tum ob judicii nostri imbecillitatem.

Quapropter viros doctos, qui eam legent, oro & obsecro, ut eandem liberè & severè examinare velint: considerantes, non quis eam conscripserit, (quid enim interest?) sed solùm quænam in eâ rectè dicuntur, quæque secus: atque ut, [illegible]publicæ utilitatis caussâ, erratorum omnium, quæ inibi deprehenderint, me benevolè monere dignentur, Epistolis, apud bibliopôlam, aut typographum, relictis. Atque monitus perlibenter emendabo, & monentibus gratias agam.

INDEX



INDEX
Librorum ac Capitum.

Liber Primus
DE INVESTIGATIONE Caussarum.

Cap.



INDEX.

LIBER SECUNDUS DE CAUSSARUM *EXAMINE.*



METHODI





METHODI COGNOSCENDI RERUM CAUSSAS,

LIBER PRIMUS.

DE INVESTIGATIONE CAUSSARUM.

CAPUT I.

Caussarum Definitiones, ac Divisiones.

CAUSSA est, cujus vi res est.

Aut, si malis, *Caussa est id, propter quod aliquid est.* Sumendo particulam illam *propter*, vel *ob* fusâ significatione, ità ut in omnes caussas pateat.

Si enim propriè sumatur, ad Caussam finalem duntaxat pertinet. Atque illâ latiori significatione sæpenumero tum ab Aristotele, tum ab aliis usurpatur. Unde apud Stobæum *lib. Eclog. Physic. cap.* 16, Ocellus Philosophus Pythagoricus caussam definit, δι' ὅ γίγνεταί τι *propter quod aliquid fit*: & Chrysippus Stoicus caussam esse dicit, δι' ὅ, *propter quod.*

Caussæ sunt quatuor; duæ Externæ: i. e. extra rei essentiam, & compositum; ut, Efficiens, & Finis; totidem Internæ, constituentes compositum; ut Materia, & Forma.

Caussarum numerus pervestigari & probari queat ex numero eorum unde pendet effectus, sive quorum vi res est, hac ratione. Quicquid fit, ab alio fit: nulla enim res potest facere se ipsam: & id à quo fit, vocatur *Efficiens* caussa. Jam efficiens per se, non operatur, nisi propter aliquod bonum, à quo ad agendum movetur seu allicitur: id autem bonum *Finis* est. Quòd si id quod fit, non sit simplex quiddam, sed compositum, necesse est ut dependeat præterea, & componatur è duabus rebus intrinsecis: unâ, ex quâ fit; & est *Materia*; & alterâ, per quam est id quod est; & est *Forma*. Quatuor igitur Caussæ dantur, *Efficiens*; *Finis*; *Materia*; *Forma*. Idem quaternarius numerus Caussarum nunc receptus est communi omnium consensu. Et traditus est ab Aristotele 5. *Metaphys. cap.* 2. *&* 2. *Physic. cap.* 7. *context.* 68. *&* 63.

Vbi

Ubi eundem probat ex varietate quæstionum quibus propter quid aliquid sit, quæritur: quæ totidem sunt. Idque ipsum aliis etiam rationibus comprobatum videre licet apud Albert. Magn. *in 2. Physic. cap. 7. & 3. Metaphys. c. 3.* Thomam in *opusc.* 31. Avicen. *in suâ Metaphys.* aliósque.

Efficiens est Caussa externa à qua res est.

Aut, ut aliqui definiunt,

Efficiens est id, ad cujus actionem sequitur effectus.

Quæ quidem actio est Efficientis proximus, & proprius effectus, & ratio formalis.

Finis est Caussa externa, cujus gratiâ res est.

Vel, *Finis est id, cujus gratiâ res est.* Sic Aristoteli definitur ubi aït, τὸ τέλος ἐστὶ τὸ οὗ ἕνεκα 2 *Phys.* c. 3. *text.* 29. & 5. *Metaphys.* c. 2. Ità finis passim ab ipso vocatur, *id cujus gratiâ.*

Materia est Caussa interna, ex qua res est.

Aristoteli 2. *Physic.* c. 3. & 4. *Metaphys.* c. 2. definitur, τὸ ἐξ οὗ γίγνεταί τι: *i. e. ex quo fit aliquid.*

Forma est Caussa interna, per quam res est id quod est.

Aristoteli, τὸ τί ἦν εἶναι: *quid res sit.* 2. *Post.* c: 11. *initio.* Item, λόγος τῆς οὐσίας, *ratio essentiæ.* 1. *de Generat animal. cap.* 1. Quòd in eâ rei essentia præcipuè sit posita. Quarum omnium Caussarum Exempla sunt in Domo: cujus Efficiens est ædificans seu architectus; Finis, inhabitatio, seu conservatio hominum, & supellectilis; Materia, lapides, ligna &c. Forma, Figura illa per quam, est Domus. Sic in rebus naturalibus, Hominis Efficientes Caussæ, sunt Parentes ipsius; Finis, glorificatio Dei, aut felicitas; Materia, corpus ejus; Forma, anima rationalis.

Effectus est id, quod à Caussa pendet.

Vbi nomen *Effectus* generaliter sumimus, ità, ut omnibus Caussis correspondeat. Aliqui malunt dicere *Caussatum*: aptè quidem, quanquam barbaré; sicut Græci αἰτιατὸν vocant. Quod nomen generaliter ad omnes Caussas refertur: cùm alias vox *Effectus* specialis sit, respectu ad Efficiens, nec nisi per Synedochen solet generaliter usurpari.

Effectus, seu Caussatum respectu diversarum Caussarum, diversas suscipit appellationes.

Respectu Efficientis, *dicitur*, *speciali significatione*, Effectus; *respectu Finis*, Finitum; *seu* Medium, *seu* Destinatum

Destinatum; *respectu Formæ*, Formatum; & *respectu utriusque conjunctæ*, Compositum.

Quæ non est divisio effectûs in diversas species, sed distinctio unius rei diversimodè consideratæ, cum respectu ad diversas Caussas.

Una namque eadémque Domus, est Effectus Atchitecti; & Medium, inhabitationis; & Materiatum, materiæ domûs, ut lapidum, lignorum &c. Ex quibus fit; & Formatum, formæ, *i.e.* figuræ per quam est Domus; & Compositum, materiæ, & formæ conjunctarum. Itémque Homo est sui patris, & matris Effectus; & felicitatis, ut contemplationis veri, & actionis Virtutis, aut gloriæ Dei, Medium seu Destinatum; & corporis humani, Materiatum; & animæ rationalis, Formatum; & utriusque conjunctæ, Compositum.

De hisce igitur quatuor Caussis, nos in hac Methodo tractaturi sumus, & declaraturi, primò quâ ratione ac modò rerum Caussæ in singulis generibus investigandæ sint, ut inveniantur: ac deinde, quâ dubiæ examinandæ, ut veræ, falsæque dijudicentur. Itémque tandem de effectuum investigatione atque examine agemus.

Cæterùm, quoniam singula quatuor Caussarum gen era rursus variè dividuntur seu distinguuntur, nec inutile est illas divisiones, una cum definitionibus cognoscere, tum ut Caussarum natura clariùs discernatur, tum ut limitationes quorundam Canonum intelligantur, libet eas quoq; nostræ Caussarum Disquisitioni breviter præmittere. Eásque in singulis generibus ordinis, ac memoriæ juvandæ caussâ, in duas Classes segregabimus. Quarum prima eas Divisiones complectetur, quæ sumuntur à vi seu modo Caussandi: altera, ab ordine seu subordinatione Caussarum.

EFFICIENTIS DIVISIONES.

I.

Ex Vi seu Modo efficiendi.

I. *Caussa efficiens est principalis, aut instrumentalis.*


Rincipalis est quæ instrumento utitur: Caussa instrumentalis, seu instrumentum est quod principali in efficiendo inservit: seu est id, per quod principale agens agit.

Sic pictor est principale efficiens pingendi: penicillum est instrumentum. Quum Sol ex putri generat animal, Sol est principalis Caussa; & calor solaris est instrumentalis Caussa per quam id generat.

Plato, Galenus aliique censuerunt Instrumentum esse quintum genus Caussarum, sub nullâ quatuor Caussarum suprà enumeratarum comprehensum.

Id tamen Peripatetici rectè sub Efficiente collocant, contradistinctum efficienti principali, quod instrumento utitur. Et manifestò probatur Caussam instrumentalem esse etiam efficientem: quia effectus ab instrumento quoque depen-

det efficienter, seu ab eo fit: ut scriptio à calamo; sectio à cultro. Et universa natura Efficientis in genere, etiam Instumento convenit. Cæterùm, repugnat Scaliger, qui Exercitat. 297. s.3, instrumentum planè negat esse Caussam, & principium; *Instrumentum enim*, aït, *non erit principium, quia non movet, nisi moveatur. Frustrà additum ad Caussarum numerum, à Platone, & à Galeno.*

At enimvero non est de ratione principii in universum, movere & non moveri. Sic enim Efficiens non esset principium, neque Caussa. Efficiens enim movetur à Fine: ut ipsemet Scaliger docet, Exercitat. 254. & 307. s. 25. Quin & Scaliger cum seipso pugnat, eâdem sectione citatâ: ubi ait, *Sensio sensum ipsum habet pro effectore primo, instrumentum autem pro secundaria.* At verò secundarius effector est efficiens; & omne efficiens est Caussa.

II. *Efficiens est per se, vel per accidens.*

Per se est, quæ suâ facultate efficit: hoc est, naturâ, vel consultó. *Per accidens* est, quæ alienâ facultate efficit: *i. e.* præter naturæ suæ propensionem, aut animi consilium. Ibi dicitur *Casus*, hic *Fortuna*.

Sic in naturaliter agentibus, efficientes per se *sunt, quum ignis urit; frigus refrigerat; Rhabarbarum purgat choleram. &* per accidens, *quando frigus per antiperistasin calefacit, & accendit febrim; aut ubi natura gignit monstrum.*

In voluntariè agentibus, Caussa per se *est, quum quis terram fodiens facit sepem: at* per accidens *est, si sepis Caussâ fodiens, reperit thesaurum: & quando hostis*

stis Pheræum Jasonem sanavit, gladio vomicam ejus aperiendo.

III. *Efficiens est immanens, aut transiens.*

Immanens, quæ producit effectum in seipsâ. Transiens, quæ producit effectum extra se.

Cùm faber domum ædificat, aut pictor pingit, uterq; dicitur Caussa transiens: at quum anima nostra intelligit, aut appetit aliquid, dicitur Caussa immanens suorum conceptuum, aut affectuum, quos intelligendo, & appetendo format.

IV. *Efficiens est emanativa, vel transmutativa.*

Emanativa est, à quâ effectus effluit, & emanat, sine transmutatione. Alii definiunt, à quâ est effectus per resultantiam, non interveniente accidente aliquo. Transmutativa est, quæ cum transmutatione, seu motu agit.

Sic per emanationem, lumen est à Sole: & ab animâ potentiæ emanant in totum compositum: ut potentia sentiendi, intelligendi &c. Itá Deus *& angeli dicuntur agere per emanationem: quia in illis propriè transmutatio non accidit.* Ignis *autem quando calefacit aquam, est efficiens per transmutationem. Sic animalia per transmutationem agunt, quando animalia generant.*

V. *Efficiens est naturalis, aut voluntaria.*

Naturalis est, quæ non consultò, sed ex naturæ suæ propensione agit; Ut, Sol caussa naturalis est illuminandi, Ignis urendi.

Voluntaria caussa est, quæ agit præcognitione, & consilio; Ut Homo dum ratiocinatur, loquitur, ædificat, &c.

Ad caussam Voluntariam reduci potest caussa Artificialis, quam addit *Aristot.* 7 *Metaphys. cap.* 7. Dicitur etiam agens per cognitionem 2. *Phys. text.* 50. Item caussa secundùm electionem, *eod. lib. text.* 59. & 65.

VI. *Efficiens est totalis, aut partialis.*

Totalis caussa est, quæ producit totum effectum.

Sic solus Deus Mundum creavit. Sic equus unus totalis caussa est trahendi currum, quum solus eum trahit.

Partialis est, quæ cum aliâ efficiente coordinatè concurrit in agendo; Ut, plures equi, qui simul trahunt currum.

VII. *Efficiens est univoca, vel æquivoca.*

Univoca, quæ producit effectum sibi similem in specie.

Ut, Homo generans hominem: ignis gignens ignem.

Æqui-

Æquivoca eſt, quæ producit effectum ſibi diſſimilem in ſpecie.

Ut, Homo quùm librum ſcribit, aut ſtatuam facit: ignis quando generat calorem.

VIII. *Efficiens eſt phyſica, vel moralis.*

Phyſica eſt, quæ per ſe producit effectum. Moralis eſt, quæ non producit effectum influxu reali, ac phyſico; ſed tamen ità ſe gerit, ut ei imputetur effectus.

Non hic ſumitur Cauſſa phyſica propriè, *h.e.* pro re naturali, quæ producit rem aliam naturalem; ſed latiùs, pro qualibet cauſſâ, verè ac realiter agente, ac producente effectum. Et hoc modo *Deus eſt Cauſſa Phyſiea dum creat: & intellectus dum efficit intellectionem, & voluntas, volitionem.* Sed Cauſſam Phyſicam hîc dicimus, quæ verè efficit: at Cauſſam moralem, quæ tantùm imputativè dicitur agere. Atque hujuſmodi Cauſſa Phyſicè conſiderata, tantùm eſt Cauſſa per accidens: cùm per ſe ac verè non influat, & producat effectum.

Sed ſi quis non impedit quod poteſt ac debet, aut applicat Cauſſam per ſe, vel perſuadet ei, per conſilium, aut preces, aut pretium, ſive interdū agit per localem motum, ut applicando ignem domui, dicitur Cauſſa Moralis. Nam tametſi ſit Cauſſa per ſe Phyſica illius motûs, combuſtionis tamen ſolùm eſt Cauſſa per accidens. Quæ autem verè ac realiter producunt effectum, tametſi non ſint res naturales, ut quum virtus efficit felicitatem, & ſtatuarius, ſtatuam tamen dicuntur Cauſſæ Phyſicæ.

II.

Efficiens dividitur etiam ex ordine efficiendi, in efficientes subordinatas: ut,

I. *Efficiens est proxima, vel remota.*

Proxima est, quæ proximè producit effectum. Hoc est, sine aliâ efficiente intercedente: ut, *Ignis, dum urit lignum.*

Remota est, inter quam & effectum una vel plures efficientes interveniunt. Sic, *Cœli motus est Caussa remota progressionis animalis:* quia aliæ etiam intercedunt.

II. *Efficiens est prima, vel secunda.*

Prima est vel absolutè prima, vel in suo genere.

Illa est quæ habet virtutem independentem. *Quæ unica & sola est Deus.*

Prima in suo genere est, quæ non pendet ab aliâ efficiente in suo genere. Ut, *In genere animalium, anima est prima Caussa, unde reliquæ omnes Caussæ & Effectus pendent.*

Secunda Caussa est, quæ habet vim agendi à Caussâ absolutè primâ, seu primo Ente dependentem. *Quales Caussæ sunt omnes Caussæ inferiores, sub Deo*

Deo: ut, Homo, Sol &c. Respectu suarum operationum.

III. *Caussa efficiens est, universalis, aut particularis.*

Efficiens universale est, quod effectus diversarum specierum efficit. Ut, *Sol, dum generat metalla, plantas, animalia.*

Particulare efficiens est, quod determinatè attingit certam speciem in agendo.

Vt, Homo, quando generat hominem.

FINIS DIVISIONES.

I.

Ex vi seu modo Caussandi finaliter.

I. *Finis est Cujus vel Cui.*

Græcis finis οὗ, & finis ᾧ.

Finis *Cujus* est cujus adipiscendi gratiâ agens agit. Finis *Cui* est cui finis Cujus acquiritur, aut quæritur.

Sic Medicinæ finis Cujus est sanitas: ejusdem finis Cui est homo servandus in sanitate, aut æger sanandus.

Finis Cujus magìs propriè habet rationem Caussæ finalis, quàm finis Cui. Quapropter Aristoteles ubicunque finem definit, dicit eum esse Cujus gratiâ aliquid fit. Ut 2. Phys. c. 3. & 7. & 5. Metaphys.

taphys. c. 2. Et hac ratione aït finem esse primum in intentione, & postremum in executio ne.

Finis Cujus est operatio, vel opus.

Sic finis virtutis est proba seu moderata operatio; ac artium mechanicarum finis, non tam est operatio, quàm opus aliquod: putà domus, navis, poculum, vel tale quid. Et in naturalibus, finis generationis est res genita.

Finis Cujus rursus est primarius, aut secundarius.

Qui dicuntur aliàs *finis principalis, & minùs principalis.*

Primarius finis est, qui primariò seu maximè ab agente expetitur.

Quidam alio sensu vocant finem ultimum principalem: qui opponitur fini subordinato.

Secundarius finis est quem agens secundariò, & minùs intendit quàm alium.

Sic capillitium homini datum est primariò ad tuendum cerebrum; & secundariò ad ornatum. Æstûs marini finis principalis est, ut tueatur mare à putredine; & minùs principalis, ut inserviat navigationi, & multa ad littus rejiciat. Vestium finis primarius est, tueri corpus humanum contra Cœli inclementiam: quarum finis secundarius est, ut corpus nostrum ornent.

II. *Finis est objectivus, aut formalis.*

Qui aliàs dicuntur, *finis Qui, & finis Quo.*

Finis objectivus dicitur objectum illud circa quod operatio versatur. Finis formalis est modus per quem agens unitur objecto seu objectivo fini.

Et

Et dicitur finis formalis, quia eſt forma, vel modus, ſeu ratio ſecundùm quam agens cum illo objecto unitur. Nam quando finis eſt operatio, præter actum ipſum, requirit objectum circa quod verſatur. Ut, *Contemplatio quæ eſt finis hominis, verſatur circa aliquam rem aut verum contemplaudum: ubi verum eſt hominis finis objectivus: & contemplatio eſt ejuſdem finis formalis. Sic Theologi in fine hominis diſtinguunt viſioñem Dei, & Deum viſum. Et viſionem illam dicunt eſſe finem formalem: quem etiam appellant finem* Quo, *& adeptionem finis. Deum autem appellant finem objectivum, ſeu finem* Qui, *quia comparatur per finem formalem.* Cæterùm, Thomas 1. 2. q. 1. art. 8. & q. 3. art. 7. & q. 11. art. 3. ad 3. advertit hos non tam eſſe duos fines, quàm unum: quia neque objectum attingi poteſt, uiſi per actum; neque actus fieri poteſt, niſi circa objectum: ideóque motio & intentio agentis eſt ad utrumque per modum unius: itaque unam Cauſſam finalem complent.

III. *Finis eſt per ſe, vel per accidens.*

Finis per ſe eſt, ad quem deſtinatum ſuâ naturâ ordinatur. Finis per accidens eſt ad quem medium præter naturam ſuam ordinatur.

Ut, *Medici, & Medicinæ finis per ſe, eſt ſanitas, conſervanda, vel reſtituenda: per accidens, autem lucrum, aut honor.*

IV. *Finis eſt adæquatus, aut inadæquatus.*

Adæquatus, qui rei cujus finis eſt, æqualis eſt. Inadæqnatus eſt qui re deſtinata latior eſt, vel anguſtior.

Inadæquatus est, qui re destinatâ latior est, aut angustior.

Itaque finis potest esse inadæquatus rei, per defectum aut per excessum; per defectum, ut, *Quum dicitur Rhetoricæ finem esse exornationem orationis.* Is enim angustior est, nec enim totius Rhetoricæ finis est, sed partis duntaxat. Per excessum autem, ut, *Si dicatur Physicæ finem esse contemplationem veri.* Omnes enim scientiæ habent pro communi fine, contemplationem veri. Igitur ad finem adæquatum duo requiruntur; nimirum, ut non sit partialis, sed totalis; nec communis, sed proprius. *Sic Rhetoricæ finis adæquatus est bene dicere ad persuadendum: & Physicæ, contemplari corpus naturale, aut res naturales.*

II.

Ex ordine Caussandi finaliter, finis dividitur in fines subordinatos. ut,

I. *Finis est proximus, aut remotus.*

Finis proximus, est qui proximè movet agens ad agendum. Remotus est, ad quem ordinatur finis alius propinqiuor.

Ut, *Rhetoricæ finis proximus est bene dicere; remotus, persuadere. Belli finis proximus est hostem vincere; remotior, ut in pace vivamus.*

II. *Finis*

II. *Finis eſt ſubordinatus, aut ultimus.*

Subordinatus, qui ad ulteriorem tendit. Ultimus eſt, ad quem omnes ſui ſubordinati fines contendunt, & ipſe ad nullum alium.

Quem Ariſtot. 1. magn. moral. cap. 2. vocat finem perfectum. Et. Poſt.c. 12. ſect. 8. ultimum finem. Et alii Græci σκοπιμώτατον τέλος. Idem Latinis ſumma intentio, & ultimus ſcopus dicitur.

In deambulatione, ſanitatis Cauſſâ, fines ſubordinati ſunt depreſſio cibi ad fundum ventriculi, & deinde melior concoctio: qui ambo tendunt ad ſanitatem tanquam ultimum finem in eo genere. Virtus eſt hominis finis ſubordinatus, tendens ad felicitatem ejus, qui eſt ultimus finis.

Finis ultimus, vel eſt ſimpliciter ultimus, vel in aliquo genere.

Simpliciter ultimus eſt, qui ad nullum ulteriorem tendit. *Talis finis eſt Dei viſio.*

Finis ultimus in aliquo genere, eſt qui ad ulteriorem in alio genere tendit; ut, *ultimus finis Medicinæ* in ſuo genere *eſt ſanitas. Et belli, ut in pace vivamus.*

III. *Finis eſt actionis, vel rei factæ.*

Finis actionis eſt res facienda; Finis rei factæ eſt ejus operatio.

Ut, *Finis ædificationis eſt domus ædificanda: finis domûs eſt operatio ipſius* i. e. *inhabitatio, ſeu conſervatio perſonarum, & rerum domeſticarum.*

Cæterùm, in definitione ſuprà traditâ operatio non ſumitur propriè, ſed latè pro quovis uſu ad quem res facta ordinatur. Neque omnis putanda eſt eſſe

propter

propter rem factam, seu opus: sed interdum una operatio tendit ad aliam, tanquam finem suum. Ut *locutio est propter inlectionem; & pulsatio citharæ propter delectationem.*

IV. *Finis est internus, aut externus.*

Finis internus dicitur, qui in re cujus finis est comprehenditur; & in artibus vi artis obtinetur. Ut *Finis Oratoris est bene dicere ad persuadendum.*

Externus finis est, qui est extra rem cujus finis est: & in artibus non semper obtinetur: nisi assumpto aliquo externo. *Sic Rhetoricæ finis est persuadere auditori.* Et talis finis cujusque rei est ejus usus.

MATERIÆ DIVISIONES.

I.

Ex vi seu modo caussandi, materialiter.

I. *Materia est permanens, aut transiens.*

Permanens est, ex quâ non mutatâ res componitur.

Sic corpus humanum est materia permanens hominis: æs, æneæ statuæ.

Materia transiens est, ex qua mutatâ, nec eâdem permanente, res fit.

Qua

Quæ dicitur à Philoſophis, materia alterationis, & diſpoſitionis, & generationis. *Sic quando ex ſemine generatur animal; aut ex ovo pullus; aut ex ſanguine caro; aut ex farinâ fit panis; illa horum ſunt materiæ tranſeuntes.*

II. *Materia eſt corporea, vel incorporea.*

Corporea, ex quâ res corporea fit ſeu conſtat. Qualis eſt corporum naturalium, & artificialium: ut, *Elementa ſunt materia miſtorum: lapides, domûs.*

Incorporea eſt, ex quâ res incorporeæ conſtant, quæcunque diviſibiles ſunt in partes.

Ut, *ſunt dictiones in oratione; tres Propoſitiones in ſyllogiſmo. Sic artium & ſcientiarum materiæ, ſunt earum præcepta. Sic magnitudinum ac figurarum Geometricarum materia, ex quâ conſtant, eſt incorporea.*

Aliqui etiam diſtinguunt materiam in intelligibilem, & ſenſilem: ex Ariſtotele 8. Metaphyſ. c. 6. & ſenſilem vocant, quæ ſubeſt qualitatibus ſenſibilibus: intelligibilem, quæ ſecus eſt.

II.

Ex Ordine Materia dividitur in materias ſubordinatas: ut,

I. *Materia eſt proxima, vel remota:*

Materia proxima eſt, ex quâ res proximè conſtat.

Remota

Remota est, ex quâ res est interveniente a propinquiori.

Sic proxima materia hominis, est corpus humanum: remota, elementa. Materia proxima syllogismi sunt tres Propositiones in ipso; materia ejusdem remota, sunt tres termini, ex quibus eædem Propositiones compositæ sunt.

FORMÆ DIVISIONES

I.

Ex vi & modo caussandi formaliter.

I. *Forma est substantialis, aut accidentalis.*

Substantialis est, quæ dat esse substantiale. Accidentalis est, quæ dat esse accidentale.

Anima rationalis, quæ est forma hominis, est forma substantialis: sed doctrina, quæ est forma viri docti, qua docti, est forma accidentalis.

II. *Forma est substantiæ, vel accidentis.*

Forma substantiæ est, per quam substantia suum esse substantiale habet.

Estque materialis, vel immaterialis.

Materialis est quæ est dependens à materiâ. Itaque ab eâ separari non potest, & per se subsistere: ideóque corrupto subjecto, perit ipsa.

Tales sunt formæ brutorum, & aliarum rerum infra hominem: quæ nec fiunt, nec operantur, nec esse possunt, nisi in materia.

Forma

Forma immaterialis eſt, quæ non dependet à materia, ideóque per ſe ſubſiſtit, etiamſi ſeparata ſit à materiâ.

Talis forma eſt ſola forma hominis: quippe quæ inter omnes formas, ſola eſt immaterialis & immortalis.

Atque formæ materiales pendent â materiâ, non ſolùm dum fiunt, ſed etiam quum factæ ſunt: immateriales autem neutro modo: unde illæ corruptibiles ſunt, hæ incorruptibiles.

II. *Forma eſt naturalis, aut artificialis.*

Forma naturalis eſt, quæ à natura eſt. Artificialis, quæ ab arte.

Ut, *Anima eſt forma naturalis viventis: figura ſtatuæ, eſt forma artificialis.*

II.

Item ex ordine diſtinguuntur formæ.

Forma eſt generica, vel ſpecifica, vel numerica.

Forma generica eſt, quæ dat eſſe genericum. Specifica, quæ dat eſſentiam ſpecificam: ſive, rem in certâ ſpecie conſtituit. Numerica eſt, quæ dat eſſe ſingulare.

Ut, *Hominis forma generica eſt, anima ſentiens, per quam eſt animal: eiuſdem forma ſpecifica, eſt anima rationalis. Socratis forma uumerica eſt ſua anima rationalis.*

Cæterùm, advertendum eſt, quòd illa diſtinctio non ſumatur ex parte rei, ſed ſolùm ſecundùm abſtractionem

ſtractionem, vel præciſionem mentis, ut loquuntur. Nam ex parte rei non eſt univerſale à ſingulari diſtinctum: ſed Socrates, verbi gratiâ, eſt hic homo, & homo, & animal: quæ in eo ſignificant unam eandemque eſſentiam. Itaque à parte rei non dantur plures ejuſdem rei formæ, ut una ſit generica; alia ſpecifica; alia numerica: ſed una eadémque forma, quæ dat eſſe ſingulare, ſolùm ſub præciſiori conceptu; ſub latiori, aliud nomen accipit, & ſpecifica, & generica forma dicitur. Conſulat qui volet Schieblerum Lib. 1. Metaphyſ. cap. 22. tit. 22. art. 2. n 276. Solâ igitur mentis operatione diſtinguuntur, cùm in uno homine ſingulari reipſâ diverſæ non ſint. Ac conſimiliter in formâ Bucephali, aut alterius ſingularis animalis.

Atque ità, quid, & quotuplex ſit Cauſſa, per Definitiones, ac Diviſiones, ad hujus quidem operis inſtitutum & uſum, ſatis ſupérqve dictum eſt. Quibus prælibatis, mox utiliſſimam doctrinam diſquirendi rerum Cauſſas aggrediemur.



CAP. II.

DE ORDINE INVESTIGANDI CAUSSAS.

AD cognoscendam cujusvis rei Caussam in quolibet genere Caussarum, i. e. in *Efficiente, Fine, Materiâ, Formâ*, duo necessariò requiruntur. *Primum* est *Investigatio*, seu *Inventio Caussæ*: alterum est, *Examinatio*, sive *Judicium Caussæ*, seu rei inventæ pro Caussâ: ut, si ea dubia nobis sit, exactiùs ac certiùs dignoscamus, utrùm ea vera sit rei propositæ Caussa, annon.

Quia nulla Caussa cognosci queat, nisi judicetur; neque judicari possit, nisi priùs aliquid inventum sit, quod judicetur. Utrumque igitur doceri debet. Sicut in Arithmeticâ ad cognoscendum numerum quæsitum, primò docetur modus investigandi, inveniendíque ejusmodi numerum: ut, per Additionem, Totum; per Subductionem, Reliquum; per Multiplicationem, Factum, seu Productum; per Divisionem, Quotum. Deinde, in singulis traditur Probatio, seu Examen; quo exploretur, & dijudicetur numerus inventus per priorem Operationem, ut vocant, sítne is verus numerus quæsitus, nécne. Itémque in Logicâ traditur modus, seu Canones investigandi Genus; Definitionem; Divisionem; Syllogismum: ac præterea eadem examinandi ac judicandi. Consimiliter, quum rei Caussam scire velimus, primò quærendum est, ut inveniamus quodnam sit ejus Caussa. Quæ cogitatio Investigatio Caussæ dicitur. Deinde, quod inventum est, repetitâ cogitatione, quasi ad lapidem Lydium revocamus, ut dijudicetur exactiùs, veráne sit Caussa nécne. Hæc ratiocinatio vocatur Examen aut Judicium Caussæ.

Quanquam autem Investigatio, atque Inventio propriè loquendo differunt, tanquam medium ac finis; & sicut efficiens, & effectus: nam Investigatio est propter Inventionem, eámque sæpe producit; tamen cùm modus utriusque unus idémque sit, earum nomina in ipsarum tractatione, quasi pro unâ eadémque re usurpabimus. Itémque vocibus Examinationis, ac Judicii, (quæ presse accepta pariter discrepant) sine discrimine utemur.

Qu-

Qui rei Caussam invenire vult, eam recto Ordine ac Viâ seu Modo quærere debet.

Sicut enim in aliis rebus; ità etiam in rerum Caussis indagandis, nisi recto ordine, ac viâ scrutemur, uon poterimus eas invenire, nisi Casu.

Qui autem rectè quærit quidquam, penè id jam invenit.

Ordo quærendi potissimùm considerandus est inter Caussas subordinatas, ut proximam, & remotas, quænam earum priùs sit investiganda, quæque posteriús.

Qui enim varias rei alicujus Caussas, in quolibet genere Caussarum perquirere cupit, certo ordine progredi debet, & ab illâ auspicari, à qua ad reliquas commodissimè transire liceat.

Hic autem ordo est analyticus, seu resolutivus, progrediens, seu potiùs regrediens ab effectu proposito, primò ad proximam, & immediatam ejus Caussam: eáque inventâ, similiter

C ad

ad illius Caussæ caussam proximam: quæ est effecti propositi Caussa remota; & sic deinceps, usque adeò donec ad illam remotam caussam perventum sit, in quâ sistere velimus.

Idcirco Caussa naturâ & generatione postrema, inventione prima est.

Itaque rectè aït Plutarchus lib. de primo frigid. *Physiologo qui veritatem contemplatur, ultimarum Caussarum cognitio, non finis est, sed initium ad primas supremásque Caussas proficiscendi.* Idémq; docet Aristot. 3. Ethic. Nicom. cap. 8. inquiens, τὸ πρῶτον αἴτιον, ἐν τῇ εὑρέσει ἔσχατον: *prima Caussa, in inventione postrema est* Et context. 17. ejusdem cap. aït *ultimum in resolutione, esse primum in generatione.* Itaque qui rei Caussas perquirit, simili ordine procedit, ac ille, qui in tabulâ genealogicâ Majores cujuspiam inquirit: ubi principiò quærit ejus patrem, mox patris patrem; qui est Hypothetici (ut vocant) avus: & sic deinceps proavum, abavum, atavum & reliquo majores.

Quapropter ordo investigandi Caussas, contrarius est ordini inquirendi Effectus: hic enim syntheticus seu compositivus, & descensivus est, inquirens primò primum & proximum rei Effectum; & deinde gradatim remotiores & posteriores: sicut in tabulâ genealogicâ, posteri, ut filius, nepos, pronepos, abnepos, & reliqui indagantur descende-

do juxta ordinem generationis. Quâ de re posthac suo loco pleniùs dicendum erit, ubi de ordine investigandi Effectus agemus.

Exempla ordinis scrutandi Caussas. Ac primò Efficientem.

Aristoteles in lib. de Generat: ac Corrup. *primò Caussas proximas, tum elementorum, tum mistorum pervestigat; deinde ad remotas perquirendas progreditur.* Itémque alibi facit.

Similia Exempla sunt in Caussâ instrumentali.

Ut, *In pervestigandis instrumentis spontaneæ motionis animalis, quærendum est primò proximum seu ultimum instrumentum, quo, vel per quod movetur animal;* & *sunt ossa; quæ moventur per tendines; tendines per musculos; & musculi per spiritus animales.* Attamen eadem instrumenta inventa contrario ordine, *i.e.* generationis doceri solent. Ut, *per spiritus animales tanquam per instrumentum, musculi coutrahuntur; per musculos, tendines; per tendines, Ossa; denique per ossa mota, movetur totum animal, vel aliquod ejus membrum.*

Ex. in Fine.

In Historiæ practicæ finibus, primò scrutari oportet proximum finem; qui est cognitio rerum gestarum, deinde hujus cngnitionis finem; qui est ut in-

de experientia activa comparetur, & ab ea prudentia discatur.

Ex. in Materia.

In Hominis materia, primò quærimus proximam, quæ est corpus humanum: postea, si ulteriorem quærimus, investigamus hujus corporis materiam; ut elementa, quæ proinde sunt Hominis materia remota.

In Forma verò, non quæritur, nec datur forma formæ.

Sic de Ordine perscrutandi Caussas, satis dictum videtur.

Cap. III.

CAP. III.

DE MODO INVESTIGANDI INVENIENDÍQUE CAUSSAS, generatim.

DEINDE, de viâ ac ratione investigandi rerum Caußas dicendum est.

Ubi generalem ac communem modum prælibabimus, ac postea, speciales seu proprios modos scrutandi Caussas in singulis quatuor Caussarum generibus, declarabimus.

Modus & ratio investigandi unamquamque Caussam sumitur ex propria natura illius speciei Caussæ, seu generis Caussarum, sub quo Caussa, quam

quærimus, continetur. Hoc est, r
Caussa efficiens invenitur ex Efficien-
tis propria natura, itémque rei Finis,
Materia, & Forma, ex propriâ natu-
râ cujusque illarum Caussarum.

Proprius autem quærendi modus i
singulis Caussis, in duos modos, s
partes dividi potest. Quorum unus su-
mitur à propriis illius generis Caussa-
rum Affectionibus; alter, à Caussi
cognatorum effectuum.

Etenim Caussa omnis invenitur
aut è propria aliqua suæ generalis Causs
Affectione; aut ex Caussæ alterius cog-
nati effecti, i. e. consentanei, aut op-
positi effectui proposito, cujus Caussam
quærimus.

Id enim vera cujusque rei Causs

est

est, cui competit aliqua proprietas illius generis Caussæ, respectu ad eundem effectum.

Vt, Cui tribuitur proprietas Efficientis, respectu ad aliquem effectum, id est ejusdem efficiens. Ac par ratio est in in cæteris Caussis.

Per proprietatem autem hic intelligimus, non quamcunqne affectionem Caussæ, ut communem, quæ alii etiam rei præter illam Caussam tribuitur; sed propriam affectionem, quæ alicui generi Caussarum soli competit: ut soli Efficienti; aut soli Fini; aut Materiæ; aut Formæ.

Item, illud Caussa effecti est, cujus cognatum Caussa est alterius cognati effecti: sive sit consentaneus effectus, seu oppositus proposito effectui.

Nam ex cognita Causa unius cognatorum effectuum, Causa quoque alterius colligi, atque inveniri potest.

Vt, Id Caussa efficiens virtutis est, cujus contrarium est Caussa contrarii virtutis i.e. *vitii. Aut cujus simile Caussa est alterius similis effecti; & par ratio est in cæteris Caussarum generibus.*

Atque illæ duæ Propositiones de Caus-

*ſarum Proprietatibus, & cognatis, ſu[nt]
generales Canones ac Principia, ſe[u]
fundamenta omnis inventionis Cauſsa-
rum; omnéſque ejus Canones ſpeciales
ſub ſe complectuntur.*

*Propriæ autem Affectiones, ac cognatæ
Cauſsarum comprehenduntur Locis, ac
Canonibus Inveſtigationis* singularum *Cauſsarum;
è quibus petuntur argumenta ad Cauſsas
inveniendas.*

*Súntque nihil aliud, quàm Loci, ac
Canones, atque Argumenta confirmandi
Cauſſas.*

*Qui Loci, ac Canones duplici uſui
inſerviunt: nimirum ad veras rerum
Cauſsas, tum inveniendas, tum dubias
judicandas.*

*Ad inventionem quidem, quatenus
applicantur ad queſtionem Cauſsæ
quam*

quam quærimus invenire; ad Judicium verò, quando adhibentur ad quæstionem Caussæ quam examinaturi sumus.

Duæ namque quæstiones fiunt ad rei Caussam cognoscendam, Prima est Investigationis, seu Caussæ inveniendæ; altera, Examinationis, sive Caussæ judicandæ. In quarum priore, nihil proponitur tanquam rei Caussa; sed quæritur tantùm quid sit rei propositæ Caussa.

Ut, Quid sit Caussa virtutis. Quodnam Caussa sit terræ-motûs.

In altera quæstione distinctè proponitur quidpiam dubium, & proinde examinandum, utrùm id sit rei propositæ Caussa, nécne.

Ut, Num moderatæ actiones sint Caussa virtutis, an non. Sint ne halitus in terrâ conclusi Caussa terræ-motûs, nécne.

Itaque Loci, ac Canones tum Inventionis, tum Judicii veræ Caufsæ, re conveniunt, modo differunt. Utrique enim ſunt illi ipſi Loci, ac Canones confirmationis Cauſsarum. Differunt tamen modo, quatenus ad duas illas diverſas quæſtiones Cauſsæ inveniendæ, atque judicandæ diverſis modis applicantur.

Et quatenus adhibentur ad rei Cauſsam inveſtigandam, & inveniendam, eatenus vocantur Loci, ac Canones inveſtigationis, ſeu inventionis Cauſsæ; prout autem ad veram Cauſsam dijudicandam applicantur, eatenus ſunt Judicii veræ Cauſsæ.

Canones autem Refutationis unicum habent uſum. i. e. *ad refellendum duntaxat: ac proinde ſolùm ad dijudicandum*

candum, quid non sit vera rei Caussa. Nec quicquam ad investigationem veræ Caussæ, per se valent; sed per accidens tantùm: nimirum quatenus nos faciunt falsam repudiare, atque iccirco nos excitant ad aliud pro verâ Caussâ perscrutandum.

Generalis via investigandi Caussam.

Investigaturo quamcunque rei Caussam, primò considerandum est, sub quonam genere Caussarum ea Caussa contineatur quam quærit, Utrùm (inquam) sit hujus rei Efficiens; an Finis; an Materia; an Forma?

Quo cognito, deinde Caussam inveniendam inquirere oportet ex Locis, ac

ac Canonibus investigandi Caussam ejusdem generis.

Et Canon, quem sumimus, supplet vicem Majoris propositionis Syllogismi. Qui tamen plerumque oratione non exprimitur, sed in animo reticetur brevitatis Caussâ: & sic fit enthymema.

Deinde, Assumptio seu Minor invenienda est: quæ aliter quærenda est, si Locus, ac Canon sumatur à Proprietate Caussæ: aliter, si à Caussa cognati effecti.

Si enim sumitur à Proprietate, tunc quærendum est, in quodnam eadem conveniat: sive, quid tale sit, respectu ad effectum propositum.

Id quod quæritur, per sensum, aut experientiam, aut rationem, aut testimonium

monium experti; sicubi nos rei experientiâ caveamus.

Et reperto cuinam ea proprietas Caussæ competat, Minor ex illo unà cum affectione constituitur; & idem concluditur, & invenitur esse vera rei Caussa, in eodem genere.

Sin autem Caussam scrutamur, ex aliquo Loco, ac Canone, à Caussa alterius effecti cognati effectui proposito, tum videndum, quodnam sit Caussa illius alterius effecti: quo reperto, & in Assuumptione disposito, illius Caussæ cognatum invenietur esse Caussa, quam quærimus propositi effecti.

Deinde, quod inventum est pro Caussa (præsertim si de eo dubitemus) examinandum erit, per Locos, ac Canones

nones Examinis ejusmodi Caussæ, posthac tradendos. Libro De Examine Caussarum.

E quibus, si Caussa, quam examinamus, refellitur, ac judicatur falsa, tunc alia Caussa ad eundem modum perquirenda, atque examinanda erit.

Sin autem comprobabitur, ac judicabitur esse vera, Caussa quæsita rectè inventa est.

Cæterùm, Loci Inventionis è Proprietatibus Caussarum, cùm sint diversi in singulis generibus, iccirco eos initio tractationis cujusque Caussæ, synopsi quadam, memoriæ juvandæ gratiâ, ob oculos ponemus.

Quorum

Quorum alii sumuntur à Conditionibus Caussæ prærequisitis ad Caussandum, in eo genere Caussæ.

Alii, à reliquis Proprietatibus non necessariò prærequisitis ad Caussandum.

Alii denique sunt Loci compositi è duabus Affectionibus: unde Caussa quæsita validiùs confirmetur, ac certiùs inveniatur.

Loci autem Caussarum cognatorum effectuum iidem generales sunt in singulis Caussis. Quapropter eos simul & semel in tabellâ recensebimus: ut eorum repetitio initio tractationis singularum Caussarum evitetur.

Loci Inventionis Caussarum à Caussis cognatorum effectuum.

1. Sunt

I. Sunt à Caussis Superiorum effectuum ad Caussas Inferiorum: ut,

1. *A Caussâ Generis, vel generalis effecti.*

2. *A Caussa Speciei ad Caussam singularis effecti.*

II. A Caussis Inferiorum effectuum: ut,

1 *A Caussis omnium specierum, seu specialium effectuum, ad sui generis Caussam.*

2. *A Caussis singularium effectuum, ad Caussam speciei.*

III. A Caussis Oppositorum effectuum: præsertim Contrariorum.

IV. A Caussis Comparatorum effectuum: ut,

1. *Majoris.*
2. *Minoris.*
3. *Paris.*
4. *Similis.*

V. Denique, à Caussis duorum Cognatorum, vel, â binis cognatis.

Tantum de generali modo investigandi Caussas dixisse sufficiat.

Cap. IV.

DE MODO INVESTIGANDI CAUSSAM EFFICIENTEM

SECTIO I.

DE LOCIS A PROPRIETATIBUS EIUS.

Articulus I. De Locis à propriis Conditionibus prærequisitis ad agendum.

Nunc ad modos speciales inquirendi singulas Caussas descendemus: primóque ad modum Efficientis scrutandi.

Quod investigandum est ex ipsius Locis, ac Canonibus Inventionis.

LOCI

LOCI A PROPRIETATIBUS EFFICIENTIS.

I. Sunt à propriis ejus Conditionibus prærequiſitis ad efficiendum: ut, Locus * 1 *A poſitione, vel præſentiâ cum patibili, dum fit actio in ipſum.* * 2 *A contactu cum patiente, dum fit actio.* * 3 *A principio unde oritur actio.*

II. A propriis affectionibus non neceſſariò prærequiſitis ad actionem: ut, * 1 *A non poſitione, ſeu præſentiâ cum patibili, & non actione.* * 2 *A non contactu, & non actione.* * 3 *A ſublatione, & à remotione à contactu.* * 4 *A Repaſſione.* * 5 *A proportione diſtantiæ, & actionis.* * 6 *Ab unitione, & diſperſione.* * 7 *Ab enumeratione efficientium generalium, aut ſpecialium.*

III. Denique, ſunt Loci compoſiti è duabus, aut pluribus affectionibus Efficientis: ut,

§ 1 A poſitione & alia affectione.

* 1 *A non poſitione, ſeu præſentiâ cum patiente, & præſentiâ.* * 2 *A poſitione cum eo, & ſublatione.*

§ 2 A contactu, & alia affectione.

* 1 *A non contactu, & contactu cum patiente* * 2 *A contactu cum patiente, & ſimilitudine.* * 3 *A contactu cum patiente, & virtute ſufficiente ad ad agendum.* * 4 *A contactu cum patiente, & remotione.*

LOCUS

LOCVS I.

A positione vel præsentiâ cum patiente, dum actio fit in ipsum. *Et, quærendum, quid sit, quo posito vel præsente cum hoc patiente, id necessariò patitur hunc effectum, vel hæc actio fit in ipsum.*

Can. Investigationis.

Id enim est efficiens actionis, quo posito, vel præsente cum aliquo, actio illa in ipsum necessariò fit.

Vel, id necessariò patitur eum affectum.

Exemplum Investigationis.

Investigaturus quid sit Caussa efficiens virtutis moralis, eam inveniam, si quæram, & reperiam, quid sit quo posito in homine, ea necessariò generetur. Sed reperio quòd positis in aliquo crebris actionibus moderatis, virtus in eo necessariò gignitur. E. concludo, & invenio eas esse Caussam virtutis moralis.

Sic Aristoteles Problem. s. 5. problem 30. quærit Caussam inter ea quæ simul ponuntur, vel accidunt cum effectu: ubi aït, *Cur non protinus ab exercitatione esurimus? Vtrùm propter colliquefactionis residua, dum penitus concoquantur? An propter spiritum, quem labor ex humore subdito movet? An propter sitim, quam laboris calor inducit? Hæc enim accidunt omnia.*

Sic idem Philosophus lib. de Somno, & Vigil. cap. 4. context. 1. *Inventurus Caussam somni, ac vigiliæ, quærit quo motu actionéve corporum antegressâ, dormire, animalibus obveniat, aut etiam vigilare.*

II.

A contractu cum patiente, dum fit actio in ipsum.

Quid est quo tangente hoc, hic affectus in ipsum necessariò fit? Vel, hæc actio fit?

Can. Investigat.

Id efficiens actionis est, quo tangente, patiens hoc necessariò patitur.

Sive, tangat Contactu corporis, aut virtutis.

Ex. Investigat.

Quænam Caussa fuit interitûs Cleopatræ? morsa fuit ab aspide, & mox periit: E. aspis fuit ejus interitûs Caussa.

In altissimâ quadam turre urbis Mechliniensis, pulveris tormentarii 700 circiter cadi accensi sunt, ac in flammam difflati. At quonam tangente, pulvis ille incensus fuit? Fulmine. Quare fulmen in Caussa fuit. Quod accidit anno 1546. unde ingens ædificiorum ruina, & mortalium strages in illa urbe edita est.

Hic Locus à contactu, non est omnino idem cum priore, à positione: non enim omne agens, agit per contactum propriè dictum; sed solum agens per actionem transeuntem: *i. e.* quod agit in aliud. Sed agens per actionem immanentem, agit in seipsum, aut secundùm eandem partem, aut per unam partem in aliam: unde palàm est, illud non agere per contractum propriè dictum. Cæterùm, contactus, de quo loquitur Canon, non semper est corporeus seu quantitativus, sed sæpe solùm virtualis: quando

quando sc. agens virtutem suam spargit per medium, & per eam tanquam per instrumentum attingit rem distantem, in quam agit: quo pacto Sol, & reliqua astra agunt in hæc inferiora, & magnes in ferrum, aliáque in alia. Quinetiam agentia spiritualia & corporis expertia debent proportionali modo esse propinqua secundùm præsentiam, & attingere patiens tactu virtutis suæ.

III.

A principio actionis. *Quodnam est id unde hæc actio oritur secundùm executionem?*

Can. Investigat.

Id à quo actio oritur secundùm executionem, est ejus Caussa efficiens.

Dictum est, *secundùm executionem*, ad excludendum Finem: qui est primum principium actionis, intentione, seu motione ad agendum; non autem executione.

Ex. Investigat.

Nilus inundare solet Ægyptum mediâ æstate: cujus inundationis Caussa acriter torsit ingenia veterum Philosophorum Ægyptiorum, ac Græcorum. Sed inveniri potest quærendo, & inveniendo, unde incipiat: Incipit autem à pluviis hyemalibus in Æthiopiâ, circa Nili fontes, quod nunc exploratum est: quæ & ingentes sunt, ac diuturnæ: unde aquæ decurrunt in Ægyptum, humilem ac campestrem regionem, eámque inundant: ubi æstas est eodem tempore, quo in Æthiopiâ hyems. E. illæ pluviæ Caussa sunt Niliacæ inundationis. Itaq;

Itaque rectè scripsit Seneca 4. nat. quæst. cap. 2: *Vnde Nilus crescere incipiat, si comprehendi posset, Caussæ quoque incrementi invenirentur.*

Sic Philosophus lib. de Somno ac Vigil. cap. 4 *Investigat somni Caussam ex principio, unde ejus origo est.*

Artic. II. De Locis à propriis affectionibus Efficientibus non necessariò prærequisitis ad ejus actionem.

I.

A non positione, vel non præsentiâ efficientis, & actionis. *Quid est, sine quo præsente cum patiente, non potest fieri hæc actio?*

Can. Investigat.

Id probabile est esse actionis efficiens, sine quo posito cum patiente, non fit ea actio in ipsum.

Nisi sit conditio aliqua necessaria ad agendum.

Ex. Investigat.

1 *Quid est, sine quo, in hoc inferiori Mundo, res nec generari*

rari, nec conservari possunt? Sol. Quare Sol Caussa est tum generationis, tum conservationis earum.

II.

A non contactu, & non actione. *Quid est, sine cujus contactu cum hoc patiente, hæc actio fieri nequeat?*

Can. Investigat.

Id, quo non tangente aliquid actio quædam in ipsum fieri non potest, probabile est, esse ejus efficiens.

Exemplum.

Quousque Sol suis radiis non attigerit terram, ea non incalescit. E. Sol Caussa est calefactionis.

Tali argumento unusquisque reperit Solem esse Caussam calefactionis.

III.

A sublatione, vel remotione à contactu passi. *Quonam sublato vel remoto à contactu hujus passi, desinit hæc actio in ipsum fieri?*

Can. Investigat.

Id quo sublato, vel remoto à passo, necessariò cessat aliqua actio in ipsum fieri actionis efficiens est.

Vel, Si uno solo sublato seu remoto à passo, actio aliqua desinit in ipsum fieri, id est actionis efficiens.

Dixi, *uno solo sublato*, vel *remoto*: quia pluribus simul sublatis, vel remotis à passo, & actione cessante fieri, incertum erit, quodnam fuerit ejus efficiens: nisi scias, aut probes cætera præter unum eorundem, non esse efficiens. Cæterùm, remoto agente cessat actio, quia cessat contactus: qui necessariò requiritur inter tale agens, & patiens. Placuit hìc nobis duos Locos, ac Canones Efficientis, à *sublatione*, & *Remotione*, in unum, brevitatis Caussâ conjungere. *Sublatio* autem & *Remotio* hic propriè accepta differunt: quia tolli propriè dicitur, quod perit: at removeri potest à passo vel contactu, quod non perit, seu aboletur.

Ex. investig. Sublatione.

Quid est, quo sublato, peribit memoria antiquitatis, & rerum olim gestarum? Historia. Quare liquet eam esse conservatricem memoriæ rerum gestarum.

Ex. Investig. à Remotione.

Quid fuit, quo remoto, seu sublato, hic morbus sublatus est? Bilis. E. ea morbi Caussa fuit.

IIII. A

IIII.

A repaſsione. *Quid hoc agendo repatitur?*

Can. Invent.

Id quod agendo repatitur, eſt prioris actionis efficiens.

Ex. Inveſtigat.

Quid repatitur multùm cogitando & intelligendo? Cerebrum? E. id eſt efficiens intellectionis.

V.

A proportione diſtantiæ, & actionis. *Quid eſt, quod quum propinquius exiſtit huic patienti, hæc actio intenſior eſt? & quò longiùs diſtat, eò remiſsior?*

Can. Invent.

Id eſt actionis efficiens, quod ubi aut quando ipſum, & patiens propin-

 quiora

quiora inter se sunt, actio fortiùs fit; & quantò longiùs distant, tantò debiliús. Cæteris Paribus.

Ex. Invent.

In eâ septentrionali parte Americæ, quam nostrates Neufunlandiam vocant, aër litori vicinus, hyeme impensè frigidus est, ob glaciem eò â Septentrione delatam. Nam longiùs dissitus, minùs refrigeratur.

VI.

Ab enumeratione efficientium generalium, aut specialium.

Can. Investigat.

Ubi plures dantur Efficientes Caussæ generales, aut speciales alicujus effecti; eísque enumeratis, & probato, nullam earum esse efficientem effecti propositi, præter unam reliquam; hæc erit hujus efficiens.

In hujusmodi verò argumentatione, observandum est, ut illa enumeratio plena sit: alioqui non concludet: necessariò attamen enumeratio non semper

per exprimitur, sed sæpe animo reticetur, & subintelligitur in Majori Propositione.

Ex. Investigat.

Si quæro efficiens generationis soricum in navibus, videndum quænam sint Caussæ Efficientes universales eorum generationis. Generantur autem sorices, vel univocâ generatione ab aliis soricibus; vel à Sole, ex putri materiâ. Atqui illi in navibus, non sunt generati à priore Caussâ: siquidem nullus sorex in Nave affuerit, quum è portu solveretur. Reliquum est ergò ut Solis virtute è putridis quisquiliis in nave generati sint.

Artic. III.

De Locis compositis à duabus Affectionibus Efficientis.

§. I. A positione, & aliâ affectione.

Investigantur rerum Caussæ, non solùm ex singulari aliquâ earum Affectione, aut ex Caussâ cognati effecti; verùm etiam quandoque è duabus Affectionibus, aut cognatis, simul in uno argumento conjunctis: unde Caussæ certiùs inveniuntur. Cujusmodi Locos, Canones, & Argumenta, distinctionis

nis Caussa à Simplicibus, *Composita appellabimus*. Novis *enim* rebus (*ut aït Cicero*) nova nomina imponenda ſunt. *Nihil autem intereſt*, *ſive res ipſæ novæ ſint*, *ſive nomine caruerint*. *Eáque Simplicibus in ſingularum Cauſſarum tractatione*, *ſubjiciemus*.

I.

A non poſitione cum patiente, & poſitione. *Quid eſt, quo non poſito cum hoc patiente, non fiat hæc actio? & poſito, neceſſariò fit?*

Can. Inveſtigat.

Id, quo non poſito cum patiente, non fit actio quædam in ipſum; & poſito neceſſariò fit, eſt actionis illius, ſeu effectus efficiens:

Ex. Inveſtigat.

Quid eſt, ſine quo nemo beatus eſſe poſſit, & quo p diti ſunt felices? Virtus, aut virtutis actiones. E. i Cauſſa eſt felicitatis.

II.

II.

A positione cum patiente, & sublatione. *Quonam posito cum hoc patiente, hæc actio vel affectus in ipsum fit, & sublato, cessat fieri?*

Can. Investigat.

Id est actionis efficiens, quo posito cum patiente, fit eadem actio in ipsum; & sublato, cessat fieri.

Ex. Investigat.

Quid aërem à putredine tuetur? Aër quamdiu ventis agitatur, non putrescit; at ventis silentibus, citò putrescit. Ventus igitur seu motus aërem à putredine tuetur.

Sic colligere possumus, æstum marinum, mare à putredine vindicare: si supponamus æstum cessare.

§. 2 A contactu, & aliâ affectione.

I.

A non-contactu, & contactu cum patiente. *Quid est, sine quo tangente hoc patiens, hæc actio in ipsum*

non fit, & eo tangente necessario fit:

Can. Investigat.

Id est actionis efficiens, sine qu[o] tangente patiens, actio non fit, & [eo] tangente, necessariò fit.

Vel, Quod antequam attingat aliquid, actio quæda[m] in ipsum non fit; & dum attingit, necessariò fit, est ejus[-] dem actionis efficiens.

Ex. Investigat.

Nisi lumen objectum attingat, hoc non possit cerni: sta[-] tim verò cum ipsum attigerit, conspicitur. Unde collig[i-] mus lumen esse aliquam Caussam visionis.

II.

A contactu cum patiente, & si[-] militudine cum effectu. ***Quid tal[e,] qualis hic effectus est, tangit hoc pati[-] ens, dum fit?***

Can. Invent.

Quali tangente patiens, talis fi[t] effectus, id est ejus Caussa efficiens.

Vel, Si non nisi unum quod tangit patiens dum fit effe[-] ctus, tale sit qualis effectus, id est hujus agens. Atqu[e] hic Canon certissimus est, si modò nullum aliud si[-] mile, eodem tempore tangat patiens.

Ex. Invent.

Incidit in febrem ardentem, dum in fervido Sole versabatur. Unde colligatur Solem illius febris Caussam fuisse.

III.

A contactu cum patiente & virtute sufficiente. *Quid tangit hoc patiens, quod præditum est virtute sufficiente ad hunc effectum præstandum?*

Can. Investigat.

Quod tangit passum dum actio fit, & pollet virtute sufficiente ad eam exsequendam, id est ejus efficiens.

Vel, Si non nisi unum quod attingit patiens dum actio fit, habet virtutem sufficientem ad agendum, id est actionis Caussa efficiens.

Ex. Investigat.

Quid in terrâ conclusum sat virium habet ad eam quatiendam? Copiosi halitus, aut ignis subterraneus. Quare existimandum est, illos terræ motuum Caussam esse.

IV.

A contactu cum patiente, et

remotione. *Quid est quo tangente hoc patiens, actio hæc in ipsum fit, & remoto, cessat fieri.*

Can. Inquisit.

Quo tangente quidquam, actio aliqua in ipsum fit, & remoto, cessat fieri; id est efficiens.

Ex. Inquisit.

Sol dum suis radiis attingit aërem aut terram, ea incalescunt, & quum is removetur hæc cessant calefieri. Unde unusquisque invenit Solem esse Caussam illius calefactionis.

Sectio

SECTIO II.

DE LOCIS INVENIENDI

Efficiens ab Efficientibus cognatorum effectuum.

Artic. I.

Loci à Caussis efficientibus Superiorum effectuum.

HACTENUS dictum est de Locis inquirendi Efficiens ex Affectionibus ipsius: nunc videamus Locos ab Efficientibus Cognatorum effectuum.

Loci Efficientium superiorum seu magis universalium effectuum sunt Generis; & Speciei superioris.

I.

Ab Efficiente Generis, vel ge-

 neralis

neralis effectus. *Quid est efficiens Generis hujus effectus specialis?*

Can. Investigat.

Quod est efficiens generalis effecti, vel omnium ejusdem generis, est etiam efficiens specialis effecti, & singularis.

Sed tanquam generale efficiens, non speciale, aut proprium.

Ex. Investigat.

Deus est Caussa omnis boni (sc. creati) *E. etiam summi boni, seu felicitatis humanæ.*

Crebræ similes actiones morales sunt Caussa habitûs moralis. E. etiam habitûs virtutis.

Atque utile est sæpenumero ad Caussarum inventionem, priùs generales Caussas inquirere. Quod Aristoteles facere solet, idémque insinuat, 2. de generat. c. 10. text. 51. Similiter docet Epi-

curus

curus apud Laërtium lib. 10.pag. mihi 781. Quòd Cauſſæ generales inprimis comprehenſæ Cauſſas quoque particularium rerum cognitu faciles facient. Hoc autem non ſolùm de efficientibus, verùm etiam de cæteris Cauſsis dici poteſt.

II.

Ab Efficiente ſpecialis effectûs ad efficiens ſui ſingularis.

Quid eſt efficiens ſpeciei hujus ſingularis effectus?

Can. Inveſtigat.

Efficiens ſpeciei, vel omnium unius ſpeciei, eſt etiam efficiens cujuſvis ſui ſingularis.

Tanquam ſc. ejus ſpeciale Efficiens, non ſingulare ac proprium.

Ex. Inveſtigat.

Concordiâ reſpublicæ florent; diſcordiâ, dilabuntur.
E. hæc Reſp. concordiâ florebit, diſcordiâ dilabetur.

Hoc eodem modo Fracastorius libro Italico de inundatione Nili, *scrutatur Caussam Niliacæ inundationis in Ægypto, ex Caussa universali exundationis fluviorum.*

Artic. II. Loci à Caussis efficientibus Inferiorum effectuum.

Loci ab Efficientibus Inferiorum effectuum, sunt à Caussis Specierum aut Singularium effectuum.

I.

Ab Efficientibus Specierum ad efficiens earum generis. *Quænam sunt Caussæ speciales omnium specierum hujusce generalis effecti propositi?*

Can. Investigat.

Si omnes species unius generis sunt Caussæ specialium effectuum, item earum genus Caussa erit generalis effecti.

Ex

Ex. Inveſtigat.

Crebræ moderatæ actiones in alimento ſumendo, Cauſſa ſunt Temperantiæ; in diſtribuendo, ac commutando ſuum cuique, Juſtitiæ; in rebus terribilibus audendis, ac ſuſtinendis, Fortitudinis; ac conſimiliter in cæteris moralibus actionibus. E. crebræ mediocres actiones morales Cauſſæ ſunt Virtutis moralis.

II.

A Cauſsis Singularium effectuum. *Quæ Cauſſæ ſunt ſingularium effectuum hujus ſpecialis?*

Can. Inveſtigat.

Quæ Cauſſæ ſunt omnium aut multorum ſingularium unius ſpeciei, illorum ſpecies quoque Cauſſa erit ſpecialis effecti.

Ex. Inveſtigat.

Ignis ſubterraneus Cauſſa eſt terræ-motûs Ætnæ, Veſuvii, & aliorum montium ardentium, ut in Aſoriis inſulis, & Americâ. E. ignis Cauſſa eſt terræ-motûs.

Quinetiam non ſolùm ex omnibus, aut multis ſingularibus ſeu exemplis inveniri poteſt Cauſſa efficiens ſpeciei, verùm etiam ex uno exemplo Cauſſæ: ſaltem probabiliter.

Ut

Ut, Investigaturus Caussam prudentiæ, quæro quid fuit Caussa prudentiæ Ulyssis. Et, reperio, Quòd mores hominum multorum vidit, & urbes.

Ut Poëta canit. *E. invenio Experientiam morum humanorum Caussam esse prudentiæ.*

Ità auctores non rarò probant Caussam ab uno solo exemplo.

Artic. III. Loci ab Efficientibus Oppositorum effectuum.

I.

In Oppositis, Locus utilissimus ac maximè considerandus, est à Caussis Contrariorum effectuum.

Quid est Caussa effecti huic proposito effectui contrarii?

Can. Investigat.

Id est rei efficiens cujus contrarium est efficiens alterius rei Contrariæ.

Contrariorum namque *effectuum Caussæ sunt contrariæ.* Τῶν ἐναντίων, τὰ ἐναντία ποιητικά: &, Τῶν ἐναντίων αἴτια ἐναντία. Quæ & similia axiomata multis in locis inculcat Aristoteles: eadémque apud alios autores passim leguntur. Quæ intelligenda sunt de Efficientibus per se; Alioquin & duo contraria possunt esse Caussa unius effectûs quum sc. unum eorum agit per se, & alterum per accidens: ut, quando ignis per se urit; & gelu urit

urit herbas per accidens: & spes, & desperatio pariunt audaciam. Et unum potest esse Caussa contrariorum effectuum: unius quidem per se, ut pote quum frigidum refrigerat; alterius, per accidens: ut quum frigidum, per antiperistasin calefacit.

Ex. Investigat.

Ut inveniam Caussam virtutis, quæro quid sit Caussa ejus contrarii, i. e. *vitii. Vitii autem Causa sunt crebræ immoderatæ actiones morales. Itaque reperio Caussam virtutis esse frequentes mediocres actiones morales.*

Inter Opposita recensentur Privativè Opposita: quæ sunt, Habitus, & Privatio.

Privatio seu defectus accuratè loquendo, non est res, aut effectus propriè dictus: ac proinde non habet Caussam efficientem, sed deficientem, ut vocant. Quapropter Thomas Aquinas multis in locis asserit, *Effectum deficientem esse, à Caussâ deficiente.* Et D. Augustin. lib. 12. de Civit. Dei. cap. 7. docet, Mali non esse Caussam efficientem, sed deficientem. Quia malum in se, non est positivum quid, sed privativum. Attamen quoniam sæpenumero usu venit, ut consideretur Caussa Privationis, Defectûs, & Mali, in rebus Moralibus, Politicis, Theologicis, Medicis, Militaribus &c. non inutile videtur de Privationis Caussa quanquam impropriè dictâ docere.

II.

A Caussâ Habitus seu positivi effecti

fecti investigari potest Caussa suæ oppositæ privationis, seu defectûs.

Can. Investigat.

Quod est Caussa alicujus habitûs seu positivi effectûs, ejus privatio seu defectus dicitur Caussa oppositi privativi seu deficientis effecti.

Ex. Investigat.

Ad inveniendam Caussam mortis considero Caussam vitæ: quæ est calor innatus. E. ejus privatio seu extinctio est Caussa mortis.

Aliquando etiam Positivum ac reale quid, statuitur Caussa Privationis, seu Defectûs.

Sic frigus dicitur Caussa mortis quæ est privatio: & Seneca aït, *Necessaria non didici, quia didici non necessaria.*

III.

Item, à Caussâ privativi seu deficientis effecti, ut vocant, scrutari licet Caussam habitualis seu positivi effecti ei oppositi.

Can.

Can. Investigat.

Quod est quasi Caussa privationis aut negationis, seu defectûs, ejus oppositum Caussa est oppositi realis ac positivi effectûs.

Ex. Investigat.

Caussa mortis est privatio & extinctio caloris innati. E. vita consistit in calore innato.

Cæterùm, contradicentium, & relativè oppositorum, ad Caussam efficientem, aut aliam inveniendam, usum nullum reperio.

Artic. IV. Loci ab Efficientibus Comparatorum effectuum.

I.

A Caussa Majoris effectûs. *Quid est efficiens majoris hujusmodi effectûs?*

Can. Investigat.

Id est Caussa alicujus effecti, cujus majus Caussa est majoris effecti.

Idem enim Caussa est absoluti effectûs, & majoris, minorísve: ut, idem Caussa est vitæ, ac diuturnæ ac brevis vitæ: Ex. Investigat.

Calidum, & humidum innatum copiosum, Caussa est

est diuturnæ vitæ. E. vita innato calido ac humido continetur.

Maximi terræ-motus fiunt, in eis regionibus, & an temporibus, ubi, & quando halitus copiosissimi congregantur in terra. Halitus igitur Caussa sunt terræ-motûs.

II.

Itémque rei Caussa perquiri potest ex Caussâ minoris ejusmodi effectus.

Cujus Canon, & Exemplum imitatione priorum facilè colligi possunt.

III.

Ab efficientibus parium effectuum. *Quænam Caussa est alterius paris effectus?*

Can. Jnvestigat.

Parium Caussæ sunt pares.

Vel, Cujus par Caussa est unius parium effectuum, id æquè probabile est esse Caussam alterius.

Ex. Investigat.

Luna lumen accipit à Sole. E. & reliqua astra pariter videntur à Sole lumen accipere.

IV.

A Caussis similium effectuum.

Quænam

Quænam Caussa est alterius paris effectûs?

Can. Investigat.

Similium similes sunt Caussæ.

Vel, Similia à similibus fiunt. Ἀπὸ τῶν ὁμοίων, τὰ ὅμοια γίνεσθαι πέφυκε. Arist. 1 Rhet. cap. 4. Canon probabilis est.

Ex. Investigat.

Terræ-motûs Caussa inquiri potest à Causâ similis motûs. Nam sicut in humano corpore, flatus inclusus, tum tremorum, tum pulsuum Caussa existit; ità in ipsâ quoque terrâ, flatum similes præstare effectus, credibile est: alius enim terræ-motus, est veluti tremor, alius, veluti pulsus.

*S*ic Aristoteles sæpenumero investigat rerum Caussas è Caussis aliorum similium effectuum: ut in naturalibus, Iridis, Cometæ, Parelii, Fontium, aliorumque.

Artic. V. Loci compositi è duobus Cognatis.

Denique sunt Loci compositi è duobus Cognatis Efficientis.

I.

Ab utroque Contrario posito.

Quid est quo posito, ponitur hic effectus

fectus; & contrario posito, contra-rius.

Can. Investigat.

Si utrumque Contrarium positum, contrariæ consequuntur actiones; unum eorum est Caussa unius actionis; & alterum alterius.

Ex. Investigat.

Quid est, quo posito, generatur in nobis Virtus? Crebræ moderatæ actiones: et quonam posito, vitium? Frequentes immodicæ actiones. Quare invenimus crebras moderatas actiones esse Caussam virtutis.

II.

A Causis Efficientibus imparium effectuum, *i. e.* Majoris, ac Minoris. *Quodnam hujusmodi majus Caussa est majoris effecti, & minus, minoris?*

Can. Invent.

Cujus Majus Caussa est majoris

effectûs

effectus ; & Minus , minoris ; id est Caussa talis effecti.

Vel, Si majori posito, fit aliquis major effectus ; & minori posito, minor ; id tale est Caussa talis effecti, seu actionis.

Ex. Invent.

Terræ-motus majores, & crebriores fiunt, locis & temporibus, ubi & quando copiosiores halitus in terrâ abundant. Ut in regionibus concavis ubi plures sunt halitus subterranei : itémque eis anni temporibus, quando plures halitus in terrâ concluduntur : ut vere, & Autumno. *Et ubi & quando halitus minores, & rariores existunt, terræ-motus etiam sunt minùs validi, ac rariores. Unde colligitur halitus in terrâ, esse Caussam terræ-motûs.*

Hactenus de Inventione Efficientis dictum est.

Cap. V.



CAP. V.

DE INDAGATIONE FINIS.

SECTIO I.

DE LOCIS A PROPRIETATIBUS Finis.

Artic. I. De Loco Unico à propriâ ejus Conditione, ut Causset finaliter.

N*Unc ratio indagandi Finem declaranda est.*

LOCI INQUIRENDI FINEM à propriis ejus Affectionibus, sunt.

I. A Propria ejus Conditione unicus: sc. *A prima ejus Cogitatione.*

II. Pro-

II. A Proprietatibus finis quà intentus, ſeu quà finis eſt.

§. 1. Reſpectu Agentis: ut, 1 *Ab ejus appetitu finis per ſe.*

2 *A motione ſeu allectione agentis ad agendum.*

§. 2. Reſpectu Medii, qualis ſit: ut, 1 *Ab eius indigentiâ medii.*

2 *Ab aptitudine ſeu proportione medii ad finem.*

3 *A non intentione finis, ac medii.*

4 *Ab intentione finis, ac medii.*

5 *A ceſſatione intentionis finis, ac medii.*

6 *Ab enumeratione finium generalium, aut ſpecialium.*

§. 3. Ab eis quæ finis quà intentus tribuit medio: ut, 1. *A tri-*

butione

butione medio amabilitatis seu appetibilitatis.

* 2 *A tributione modi, ac mensura eidem.*

III. A proprietatibus finis quà producti.

§. 1. Quodnam, & qualis sit finis, quà productus: ut, * 1 *A propriâ rei operatione.*

* 2 *A non existentiâ medii, & non productione finis.*

* 3 *Ab existentiâ medii, & productione finis.*

* 4 *A sublatione medii, ac cessatione productionis finis.*

* 5 *A posterioritate productionis finis post existentiam medii.*

§. 2. Ab eis quæ Finis productus tribuat agenti, & medio: ut,

* 1.

* 1 *A tributione perfectionis.*

* 2 *Ab expletione appetitûs agentis.*

* 3 *A cessatione operationis agentis ad finem producendum.*

IV. Denique sunt Loci compositi è duabus Finis affectionibus.

§ 1. Respectu intentionis, seu finis quâ intenti: ut, 1 *A non intentione, & intentione.*

* 2 *Ab intentione, & cessatione intentionis.*

* 3 *A non motione, & motione agentis ad agendum.*

§. 2 Respectu productionis, seu finis producti: ut, 1. *A non existentiâ & existentiâ medii, ac finis.*

* 2 *Ab existentiâ, ac cessatione medii ac finis producti.*

§ 3. Respectu Ordinis fini ac medii, in intentione, & ex-ecutione.

Locus I.

A principio cogitationis.

Quid est de quo agens primò cogitat cir-ca hanc rem.

Can. Investigat.

Id est rei finis, de quo agens primò cogitat.

Aristot. 2. Physic. cap: 9. context. 69. *Finis,* inquit, *est unde principium ducitur, non agendi, sed cogi-tandi.* Ex. Investigat.

Medicus curaturus ægrum, de quonam primò cogitat? De restitutione sanitatis deperditæ. E. ea est curationis finis.

Artic. II. De Locis à propriis finis affectionibus, quà intenti, vel quà finis est.

§ 1. Respectu Agentis.

I.

Ab agentis expetitione finis per se. *Quid hoc agens hac de re appetit per se?*

Can

Can. Investigat.

Id quod ab aliquo per se expetitur, est finis ejus, & actionis.

Ex. Investigat.

Quid Homo expetit per se? veri contemplationem, & virtutis actionem. E. ea sunt Hominis fines.

II.

A motione agentis ad agendum. *Quid movet hoc agens ad hoc agendum, ut ipsum obtineat?*

Can. Investigat.

Quod movet aliquid ad agendum, ut ipsum obtineat, seu producat, id est finis.

Per motum hîc intelligitur non verus ac propriè dictus, sed metaphoricus, ut vocant, & motus dictus propter similitudinem verorum motuum. In quâ metaphoricâ motione consistit Caussalitas finis: saltem respectu agentis creati. Finis enim non est Caussa, nisi quatenus movet efficiens; uti docent Scholastici. Cæterùm, dictum est in Canone, *ut ipsum obtineat*, *seu producat*, ad excludendum Caussas impulsivas, proëgumenam, & procatarcticam: quæ etiam agens movent, seu impellunt ad agendum, sed ad aliud quid, non sese obtinendum seu pro-

 ducen-

ducendum. Et motio finis, est allectio, non impulsio.

Ex. Investigat.

Quid movet Imperatores ad bellum gerendum, ut eò potiantur victoriâ. E. ea est finis belli gerendi.

§ 2. Respectu Medii, qualis sit finis.

I.

A finis indigentia medii. *Quid est quod hac re indiget ut obtineatur.* Vel, *Ad quid hoc necessarium est?*

Can. Investigat.

Quo aliquid indiget ut acquiratur, illud hujus finis est.

Talis Canon etiam à Scaligero traditus est Exercitat. 250. Sect. 5. Ubi inquit, *Si quid altero quopiam eget, & utrumque à naturâ factum est, hoc propter illud factum esse necesse est.* Itémque eâdem Exercitat. Sect. 3. aït, *Sine quo quicquam existere non potest in naturâ, id est illi necessarium, atque propter illud factum.*

Ex. Investigat.

Finis somni inveniri potest considerando ad quem usum necessarius sit. Est autem necessarius ad animalis vires instaurandas. Is ergò somni finis est.

II. Ab

II.

Ab aptitudine, vel proportione medii ad finem. *Ad quodnam hoc habet aptitudinem seu proportionem?*

Can. Investigat.

Id ad quod res aliqua suâ naturâ habet aptitudinem seu proportionem, est hujus finis.

Ex. Investigat.

Cætera in Mundo præter Hominem, ad quid apta sunt & accommodata? Ad Hominis utilitatem. E. propter eam condita sunt

Homo est ingenio aptus ad Mundi contemplationem; & erectâ corporis figurâ præditus, ad sidera intuenda idoneâ. E. ad eorum contemplationem natus est.

III.

A non intentione, seu non expetitione finis, ac medii. *Sine quo intento seu expetito, non expeteretur hæc res?*

Can. Investigat.

Sine quo expetito, aliud non expeteretur

teretur, probabile est id esse hujus finem.

Ex. Investigat.

Nemo medicamenta expeteret, nisi prius sanitatem expeteret. E. ea expetuntur sanitatis gratiâ.

Intemperantes nisi expeterent voluptatem rerum malarum, illas non appeterent, neque agerent. E. mala agunt voluptatis Caussâ.

IV.

Ab appetitione finis, & medii.

Quid est quo priùs intento hoc intenditur?

Can. Investigat.

Id quod priùs expetitur, est posterioris finis.

Vel, Prius in intentione, est finis posterioris. Si modò unum eorum intendatur in ordine ad alterum. Sive, si alterum pendeat ab altero in intentione. Non enim omne, quod tempore, alio priùs expetitum seu intentum fuit, posterioris intenti finis est: nisi hoc ab illo pendeat in intentione agentis.

Ex. Investigat.

In moralibus quid expetitur ante virtutem? Felicitas activa. E. illa est virtutis finis.

V.

A cessatione appetitionis finis

ac

ac medii. *Cujusnam rei appetitione priùs cessante, cessat quoque hujus appetitio?*

Can. Investigat.

Cuius rei appetitione cessante, mox cessat alterius appetitio, illud huius finis est.

Ex. Investigat.

Bonâ valetudine recuperatâ, cessat ejus appetitio seu intentio, ac proinde etiam sumptionis medicamentorum. E. sanitas restituenda est medicamentorum finis.

VI.

Ab enumeratione finium magis universalium, seu generalium, aut specialium.

Can. Investigat.

Enumeratis finibus generalibus, aut specialibus alicujus rei seu medii; & probato, cæterorum nullum præter unum reliquum, esse finem rei propositæ, hic erit ejus finis.

Ex. Investigat.

Quem ad finem Sol, & reliqua astra agunt? Agunt velut se conservent; vel ut communicent: i. e. *ut alia, sc. inferiora perficiant, ac conservent. Non autem ut se conservent. E. operantur, ut inferiora perficiant, ac conservent.*

Cur Ægyptiæ Pyramides ædificatæ sunt? Non propter utilitatem: cum inutiles sint. *Igitur propter ornamentum seu ostentationem.* Quapropter à Plinio lib. 36. cap. 12. dicuntur, *Regum pecuniæ otiosa ac stulta ostentatio.*

§ 3. Quæ finis tribuat medio.

I.

A tributione amabilitatis seu appetibilitatis medio: *Quid huic rei eam tribuit? sive, propter quid hoc amatur, vel expetitur?*

Can. Invent.

Quid alicui dat amabilitatem, seu appetibilitatem, est ejus finis.

Si modò non dèt eam efficienter; seu tanquam efficiens. Sive, *Propter quod aliud quid amatur, seu appetitur, id hujus finis est.*

Ex. Invent.

Medicamenta suâpte naturâ ingrata, amantur & libenter hauriuntur, propter sanitatem. E. sanitas eorum finis est.

II.

II.

A tributione modi ac mensuræ medio? *Quid huic rei ea tribuit?*

Can. Inquisit.

Quod rei dat modum ac mensuram, ejus finis est.

Cum Canone consonat Axioma Aristotelis 2. de Cœlo context. 74. *Quod determinatur, medium est; quod determinat, finis est.*

Ex. Inquisit.

Quid universæ arti Logicæ præscribit modum, ac mensuram? Bene disserere, seu ratione rectè uti. Id ergò Logicæ finis est.

Artic. III. De Locis à Proprietatibus Finis, quà producti.

§ 1. Quodnam, & qualis sit finis productus.

I.

Maximè autem ad Operationem rei propriam respiciendum est. *Et, videndum quænam ea hujus rei sit.*

Can.

Can. Investigat.

Id est rei finis, quod est propria ejus operatio.

Vel, *unumquodque est propter suam operationem, tanquam finem.* Ubi per operationem intelligitur, non semper operatio propriè dicta; sed quivis usus, vel actus ad quem res ordinatur. Sicut usus & finis Materiæ, est sustentatio Formæ; & operatio, & finis Physiologiæ, est contemplatio rerum naturalium: quæ tamen non dicuntur operationes propriâ, sed latiori significatione. Aristoteles 1. magn. moral. cap. 4. hoc axioma tradit, ὧν ἕξις καὶ χρῆσις, ἡ χρῆσις καὶ ἡ ἐνέργεια τέλος: *quorum habitus usúsque est, usus & actio finis.* Cæterùm, finis non semper est rei operatio, sed quandoque opus: utì docet idem Philosophus 2. de Cœlo c. 3. t. 17. ubi aït, ἕκαστόν ἐστιν, ὧν ἔργον ἐστὶν, ἕνεκα τοῦ ἔργου: *Unumquodque cujus est opus, est propter illud opus.* Thomas 1. q. 65. artic. 2. & q. 105. & alibi; itémque alii Scholastici utrumque finem, h. e. operationem, & opus, uno axiomate conjungunt: ut, *Finis cujuslibet rei est operatio ejus propria, vel ad quod per eam venit.* i. e. *opus.* Sic ædificatio non dicitur finis architecti, sed opus suum, *i. e.* ædificium. Attamen domûs usus seu operatio, quæ est inhabitatio, seu conservatio personarum & rerum domesticarum, est Domûs finis. Constat igitur idem posse dici finem, & effectum, aliâ atque aliâ consideratione. finem quidem, quatenus ab agente præconceptus, & expetitus est; effectus autem, quatenus productus.

Ex. Investigat.

Finis Hominis inveniri potest ex ejus propriâ operatione. Quænam ea est? Actio virtutis E. ea est Hominis finis.

Similiter colligi possit Contemplationem veritatis esse Hominis finem.

Quid propriè præstat Medicina? Sanitatem servat, præservat, restituit: Hi igitur Medicinæ fines sunt. Unde ea à quibusdam definitur ars sanitatis servandæ, præservandæ, restituendæ. Quam definitionem mirificè commendat Averroës.

Stomachus concoquit cibum; pulmo inspirat aërem, quo cordis æstus refrigeratur: Cor est caloris innati quasi fons quidam ac domicilium, docente Galeno lib. 6. de usu part. *Cerebri ope ratiocinamur ac intelligimus: paritèrque unumquodque membrum, suum habet usum, & operationem; quæ proinde illorum fines sunt. Omnis ars, omnisque scientia suam habet operationem: ut Logicæ usus, & operatio est rectè ratione uti; Arithmeticæ, bene numerare; Geometriæ, bene metiri; Metaphysicæ, Ens contemplari; & Physicæ, corpus naturale. Hæ igitur operationes illarum disciplinarum fines esse reperiuntur.*

Atque hac potissimùm viâ ac modo inventi sunt fines partium animalium ab Aristotele libb. de part. animalium, & alibi aliarum rerum: itémque fines partium humani corporis à Galeno libb. de usu part. In quorum primo, & alibi hoc memorabile monitum tradit, *Debet ipsa actio in propositâ indagatione, esse principium simul inquisitionis, & inventorum examen.* Atque hic Locus, ac Canon investigandi Finem, omnium præstantissimus atque utilissimus est. Quapropter plura ejus exempla congessi.

II. A

II.

A non existentiâ, vel non productione medii, ac finis. *Quid est quo non existente hoc non producitur?*

Can. Investigat.

Sine quo existente, aliquid non potest existere, hoc illius finis est.

Præsertim in naturalibus: si illud non sit hujus materia, aut subjectum, aut locus, aut tempus, aut conditio aliqua ad productionem effecti necessaria. Scaliger Exercitat. 250. sect. 5. aït, *Sine quo quicquam existere non potest in naturâ, id est illi necessarium, & propter illud factum.*

Ex. Investigat.

Affectuum finis inveniri potest exquirendo quodnam bonum sine illis non possit existere. At sine illis animalia non satis excitarentur ad bona sua persequenda, & mala fugienda. Hic igitur est affectuum finis.

III.

Ab existentiâ medii, ac productione finis. *Ubi hoc existit, quodnam bonum necessariò producitur, vel existit?*

Can.

Can. Jnvestigat.

Quo existente necessariò producitur aliquod bonum, hoc est illius finis.

Canon magis valet in naturalibus: sed probabilis est etiam in humanis actionibus.

Ex. Investigat.

Historiâ existente, quodnam bonum existit? Conservatur memoria rerum gestarum; & prudentia indè comparatur. E. propter hos fines Historia rerum gestarum conscripta est.

IV.

Ab ordine naturali productionis medii, ac finis. Vel, A posteriotate productions finis post medium. ***Quid ordine naturæ seu productionis hoc posterius est?***

Can. Investigat.

Quod posterius est ordine naturæ, vel productionis, prioris finis est.

Id est, si eorum unum ab altero pendeat, sive ordinetur ad alterum.

Ex. Investigat.

Elementorum materiam esse similarium partium gratiâ, necesse est. Sunt enim posteriores illis generatione. Est Arestotelis argumentum lib. 2. de part. animal. Cap 1.

V.

A sublatione medii, & cessatione productionis finis. *Hoc sublato, quodnam bonum necessariò cessat fieri?*

Can. Investigat.

Quo sublato, aliquod aliud bonum cessat, hoc illius finis est.

Ex. investigat.

Si folia viti adimantur, uvis adhuc teneris, quodnam bonum tolletur? Uvæ teneræ carebunt defensione, nè exurantur à Solis fervore, néve ab imbre putrefiant, aut à pruinâ enecentur. Quare folia vitibus ad præsidium tenerarum uvarum à naturâ data sunt.

§ 2. Ab eis quæ finis productus tribuit agenti, ac medio.

I.

A tributione perfectionis agenti, ac medio. *Quid eam huic tribuit?*

Can. Investigat.

Quod acquisitum perficit aliquod agens

gens aut actionem, est illius finis.

Quæ perfectio, si in actione consistat, in eo residet cujus actio est: si in passione, ab eo transit in illud cujus est passio.

Ex. Investigat.

Quid acquisitum perficit Hominem? Contemplatio veri, & actio virtutis. Hæ igitur sunt Hominis fines. Bonum publicum reip. acquisitum remp. perficit. E. est finis reip.

II.

Ab expletione appetitûs agentis.

Quid acquisitum agentis hujus actionis appetitum explet?

Can. Investigat.

Id quod acquisitum agentis appetitum explet, est ejus, & ejusdem actionis finis.

Et satis est, si expleat de illâ re: tametsi non de quâcunque aliâ.

Ex. Investigat.

Architectus quum domum aliquam ædificârit, illius appetitus expletur de illâ domo. E. ea domus illius architecti, & ædificationis finis fuit.

III.

A cessatione operationis agentis.

Quid est quo acquisito seu producto,

ẞo, ceſſat operatio agentis crca hanc rem ?

Can. Inveſtigat.

Quo producto ſeu acquiſito, agens deſinit opperari, circa eam rem, id eſt finis.

Ex. Inveſtigat.

Medici, quum ſanitatem ægris reſtituerint, deſinunt eos curare, ſive medicinam adhibere. E. ſanitatis reſtitutio eſt curationis finis propoſitus.

Artic. IV. Loci compoſiti è duabus Finis affectionibus.

§ 1. Reſpectu intentionis, ſeu Finis, quà intenti.

I.

A non intentione, & intentione. *Quid eſt ſine quo intento ſeu expetito, hoc non intenditur; & intento, intenditur ?*

Can. Inveſtigat.

Id ſine quo priùs intento, aliud non

in

intenditur, & intento, intenditur, est ejus finis.

Ex. Investigat.

Quid est quo non priùs expetito intemperantes non expetunt, aut agunt mala; eóque expetito, mala expetunt & agunt? Voluptas malorum. E. mala expetunt, & sequuntur voluptatis gratiâ.

II.

Ab intentione, & cessatione intentionis. *Quid est quo priùs intento, hoc intenditur? & illius intentione cessante, hujus quoque cessat?*

Can. Investigat.

Quo priùs intento, aliquid aliud intenditur; & cessante intendi, cessat intendi, illud est hujus finis.

Vel, *Quo expetito, & cessante expeti, aliud expetitur, & cessat expeti, illud hujus finis est.*

Si modò unum expetatur in ordine ad alterum.

Ex. Investigat.

Imperator primò expetit & intendit victoriam, ac deinde bellum; & quando desinit expetere victoriam, cessat bellum appetere. E. victoria est belli finis.

§ 2. Respectu productionis, seu finis, quà producti. I. A

I.

A non existentiâ, & existentiâ medii, & finis producti. *Quid est quod hoc non existente, non existit; & existente, existit seu producitur?*

Can. Investigat.

Quo non existente, aliud non potest existere; & existente, existit, hoc illius finis est.

Præsertim in naturalibus: in humanis autem Canon probabilis est tantùm.

Ex. Investigat.

In eis gentibus quarum nulla extat historia, aut monumentum antiquitatis, perit antiquitatis memoria: sed quarum historia extat, memoria conservatur. E. historia condita est ad eam conservandam.

II.

Ab existentiâ, & sublatione medii, ac finis producti. *Hoc existente quodnam bonum producitur, & sublato, tollitur?*

Can. Investigat.

Quo existente, bonum aliud producitur

citur ; & sublato, tollitur , illud propter hoc tanquam suum finem est.

Ex. Investigat.

Cujus rei gratiâ Sol conditus est ? Quodnam bonum eo existente, existit ? atque sublato tolleretur ? Mundus illuminatur , & rerum generatio, ac conservatio perficitur: E. propter hos fines Sol conditus est.

Foliis manentibus in vite, teneræ uvæ proteguntur, ac conservantur; eisque ademptis , facilè à Solis æstu , aut pluviâ , aut pruinâ, corrumpuntur. E. ad uvarum tuitionem à naturâ data sunt. Frustrà reclamante Scaligero Exercitat. 178. s. 3. ubi aït, *Folia ad decorem & spectaculum sunt, non ad præsidium.* Sunt enim in fructiferis arboribus ad utrumque finem : & præcipuè ad fructuum tuitionem.

§ 3. Ab ordine intentionis , & executionis finis , ac medii.

I.

Ab ordine intenti , ac producti finis.

Quid hac re prius est intentione, & posterius executione ?


Can. Investigat.

Id quod re aliquâ prius est intentione, & posterius executione, ejus finis est.

Ex. Investigat.

Quid ab Homine primò expetitur, & postremò acquiritur ? Felicitas. E. ea est hominis finis. Eruditio à studioso expetitur ante præceptorum auscultationem, & librorum lectionem, & post ea comparatur. Quare illa horum finis est.

SECT.



SECT. II.

DE INVESTIGATIONE FINIS E FINIBUS COGnatorum mediorum.

Artic. I. De Locis à finibus Superiorum.

Locus I.

A Fine Generis, vel, omnium ejuſdem generis. *Quid eſt hujus ſpeciei finis generalis, aut omnium ejuſdem generis?*

Can. Inveſtigat.

Finis rei generalis, eſt etiam finis cuiuſlibet rei ſpecialis, & ſingularis eiuſdem generis.

Vel, *Omnia quæ ſunt unius generis, conveniunt in communi fine illius generis.* Attamen diverſarum ſpecierum diverſi ſunt fines ſpeciales.

Ex.

Ex. Investigat.

Omnis affectus qui circa malum versatur, animali datus est ad malum vitandum. E. & metus.

II.

A fine Speciei, aut rei specialis, ad finem Singularis. *Quodnam finis est speciei hujus rei singularis?*

Can. Investigat.

Finis historiæ est, ut ex rebus prudenter, aut imprudenter gestis prudentia hauriatur. E. idem finis est historiæ Græcorum, aut Romanorum.

Artic. III. Loci à finibus Inferiorum.

I.

A finibus omnium Specierum, ad finem Generis earum. *Quinam fines sunt specierum hujus generis.*

Can. Investigat.

Finis omnium specierum unius generis, est finis ejusdem generis.

Cujusmodi argumentatio est Inductio a speciebus.

Ex.

Ex. Inveſtigat.

Quis finis eſt Artis, vel artis omnis? Grammati finis, eſt bene loqui; Logicæ, ratione rectè uti; Rhetori- cæ, bene dicere ad perſuadendum: itémque in reliquis artibus finis eſt quicquam bene agere. E. artis finis eſt bene agere.

Sic ex finibus ſpecierum invenitur omnia condita eſſe propter Hominis utilitatem. Alia namque animalia ſunt ad cibum, & veſtitum; ut boves, vaccæ, cervi, lepores, lanigeri greges: alia ad onera ferenda, ut, Elephantes, Equi, Cameli, Aſini; alia ad oblectationem oculorum; ut mar- codiata, pavones, pſittaci, aliæque pulcræ aves; alii ad vo- luptatem aurium, ut aviculæ cantatrices; Conſimiliter fructus & herbæ, partim ad cibum comparantur, partim ad voluptatem; ut herbæ, & flores pulcri & ſuaveolen- tes, roſæ, violæ &c. Alia multarum ſpecierum, ad medi- cinam.

II.

A finibus Singularium ad finem ſpe- ciei. *Quinam ſunt fines ſingularium hu- jus ſpeciei?*

Can. Inveſtigat.

Quæ res fines ſunt omnium ſingularium unius ſpeciei, earum ſpecies erit finis ejuſ- dem ſpeciei.

Hujuſmodi ratiocinatio eſt Inductio à ſingularibus ad ſpeciem. *Hujus autem uſus in finibus, videtur ra- or eſſe.*

Ex. Inveſtigat.

Fontes in Angliâ, Galliâ, &c. ſunt propter potum ani- mantium. Is ergo eſt finis fontium.

Artic.

Artic. III. A fine Totius, & à finibus Partium.

I.

A fine Totius. *Quinam est finis totius hujus partis?*

Can. Investigat.

Finis totius est etiam finis totalis cujuslibet suæ partis.

Ex. Investigat.

Universus Mundus conditus est ad Hominis utilitatem E. etiam Serpentes, & herbæ venenosæ.

Itâ Seneca argumentatur, de Sole, & Lunâ loquens: *Cùm in hoc moveantur, ut universa conservent; & pro me moventur: universorum enim pars sum.*

II.

A finibus Partium ad finem Totius. *Quinam sunt fines omnium partium hujus totius?*

Can. Investigat.

Qui fines sunt omnium partium, eorum totum est finis totius.

Ex. Investigat.

Unumquodque membrum & pars corporis animalis, est propter aliquam peculiarem operationem animæ. E. & universum corpus est propter animæ operationes.

Artic. IV. A fine Contrarii.

I.

Quid est finis alterius rei contrariæ?

Can.

Can. Investig.

Id est rei finis cujus contrarium finis est alterius rei contrariæ.

Contrariorum enim fines sunt contrarii. Nimirum fines speciales: at contrariorum generalis potest esse unus idémque.

Ex. Investigat.

Cur spes à naturâ indita est animantibus? Ad bona sua futura persequenda. Igitur contrà metus eis tributus est, ut vitent sua mala imminentia.

Artic. V. A finibus Comparatorum.

I.

A fine Majoris. *Quinam finis est Majoris hac re propositâ.*

Can. Investig.

Cujus Majus est propter majorem finem, etiam absolutum erit propter talem absolutum finem.

Ex. Investigat.

Majores montes conditi sunt propter majores, & plures fontes, & flumina. E. montes facti sunt ad fontes, & flumina generanda.

I I.

A fine Minoris similiter ratiocinari licet. *Verùm hujus & prioris Loci ad finem inveniendum usus exiguus videtur. Quapropter Minoris Canonem, & Exemplum prætermittimus.*

III.

III.

A finibus Parium. *Quid est finis alterius Paris?*

Can. Investigat.

Parium pares sunt fines.

Vel, *Si unum parium est finis unius paris; alterum quoque pariter probabile est esse finem alterius.*

Ex. Investigat.

Inventa est Medicina, ut morbi corporis cognoscantur, & cogniti sanentur. Itaque Philosophia æquè reperta est, ut animi mala perspiciamus, eisque liberemur.

IV.

A finibus Similium. *Quid est finis alterius rei consimilis?*

Can. Investigat.

Similium similes sunt fines.

Vel, Id probabile est esse rei finem, cujus simile finis est alterius rei similis.

Ex. Investigat.

Ventus est ad aërem à putredine tuendum. Itaque similiter mari datus est æstus, nè mare putrescat.

Artic. VI. Loci compositi à finibus duorum Cognatorum.

I.

A Majori, & Minori. *Quid est quo majori posito, hic effectus seu medium, majus est; & minori, minus?*

Can. Investigat.

Quo majori posito, major fit aliquis effectus, & minori minor; id absolutum est finis ejusmodi absoluti destinati, & propter illud factum.

Præsertim in naturalibus.

Ex. Investigat.

Montes majores generant majores, ac plures fontes; minorésque minores, ac pauciores. E. *montes ab autore naturæ facti sunt (præter alios multos usus, ac fines) propter fontium, adeóque fluviorum generationem.*

Atque hæc de Inventione Finis.

CAP. VI.

QUO PACTO MATERIA inquirenda sit.

SECTIO I.

DE LOCIS AB AFFECTIONIBUS Materiæ.

Artic. I. Loci à Materiæ Conditionibus.

EXPLICATA est Investigatio Caussarum externarum. Sequitur Inquisitio internarum: i e. Materiæ, ac Formæ: quæ etiam Caussæ constitutivæ compositi, & essentiales vocantur.

LOCI INQUIRENDI MATERIAM ab ejus Affectionibus.

I. A Materiæ Conditionibus. ut,

*1 *A qualitate Materiati.*

*2 *Ab inexistentiâ in composito.*

II. Ab affectionibus non prærequisitis: ut, * 1 *A non positione materiæ, & materiati.*

* 2 *A sublatione materiæ, & materiati.*

* 3 *A resolutione compositi in materiam.*

* 4 *Ab enumeratione materiarum.*

III. Loci compositi à binis affectionibus: ut, * 1 *A similitudine, & præsentia cum composito.*

* 2 *A non positione, & positione materiæ, & compositi.*

Locus I.

A qualitate materiati, & materiæ.

Cujusnam rei propria qualitas in hoc composito reperitur? Vel, *Cujus rei plures qualitates communes?*

Can. Investigat.

Cujus rei propria qualitas in aliquo composito reperitur, id est hujus materia.

Est autem propria simplicioris, per se: communicatúrque composito, per illud.

Item, Si plures rei cujuspiam communes affectiones in aliquo composito insint, quæ non omnes in alio simul reperiuntur, ea est hujus materia.

Illæ enim sunt instar unius proprietatis: sicuti Medici solent quandoque plura communia morbi signa conjungere, loco unius proprii.

Ex. Investigat.

Multæ thermæ sulphur ac Bitumen olent. Unde colligitur illas ex istis constare.

Sic fontes salsos ex sale fossili constare, manifestò indicat sapor salsus.

II.

Ab inexistentiâ in composito. *Quid est ex quo inexistente hoc componitur?*

Can. Invent.

Id est rei materia, ex quo inexistente componitur. Dummodo non sit ejus forma.

Aristoteles 2. Phys. c. 3. & 4. Metaphys. c. 2. definit materiam, *esse id ex quo inexistente fit aliquid.*

Ex. Invent.

Cernimus hanc domum ex marmore constare.. E. hoc est ejus materia.

Ex quonam constat ars Logicæ? Ex præceptis dirigendi rationem. E. ea sunt materia Logicæ.

Artic. II. Loci ab affectionibus materiæ non prærequisitis.

I.

A non positione materiæ, & materiati. *Quid est sine quo præsente, hoc compositum fieri nequeat?*

Can. Investigat.

Sine quo præsente aliquid non potest con-

 stitui

ſtitui, probabile eſt, illud eſſe hujus materiam.

Niſi ſit ejus efficiens, aut forma, aut circumſtantia loci, aut temporis. Vel, *Si aliquod compoſitum nuſquam fit, niſi ubi quædam materia adeſt, probabile eſt hanc eſſe illius materiam.*

Ex. Inveſtigat.

Quid eſt ſine quo metalla nullibi generantur, nec eſt efficiens, aut forma eorum? Sulphur, & Argentum vivum. E. ex eis tanquam materiâ, generantur metalla.

II.

A ſublatione materiæ, & materiati. *Quonam ſublato, tollitur hoc compoſitum.*

Si modò non ſit efficiens conſervans, aut forma ipſius: namque alterutro eorum ſublato tollitur etiam compoſitum.

Ex. Inveſtigat.

Purgato è corpore hoc ſolo humore, tollitur hic morbus. E. idem humor fuit morbi materia.

III.

A reſolutione compoſiti in materiam. *In quodnam permanens hoc diſſolvitur?*

Can. Inveſtigat.

Id eſt compoſiti materia, in quod diſſolvitur, & manet poſt diſſolutionem.

Vel, Quod manet poſt diſſolutionem compoſiti in ipſum, eſt ejus materia.

Unum

Unumquodque enim ex eis conficitur, in quæ dissolvitur, aut dissolvi potest. Dissolvitur autem in materiam, & formam, & manet materia: sed forma perit, dissoluto composito, præter solam formam humanam: quæ est anima rationalis. Cardanus lib. 1. de Subtil. hunc Canonem efformat hisce verbis: *Si forma perit, manente aliquo, materiam illud esse necesse est.*

Ex. Investigat.

Corpora mista, in quodnam, vel quænam dissolvuntur? In elementa. Ex eis igitur composita sunt, tanquam ex materiâ.

Quædam gemmæ, vi ignis in liquores solvuntur. E. illæ ex liquoribus coagulatæ sunt.

IV.

Ab enumeratione eorum quæ esse possent materia propositi materiati.

Can. Invent.

Si enumerantur omnes materiæ, quæ esse possent propositi compositi; & cæteris confutatis, una reliqua sit, ea erit ejus materia.

Ex. Invent.

Pullus in ovo ex quâ materiâ fit? Fit autem vel ex luteo, vel ex albumine. Non autem è luteo. Nam perfecto jam pullo, luteus reperitur extra pullum donec tandem in alimentum ipsius absumatur. *E.* eum ex albumine factum esse necesse est.

Artic. III. Loci materiæ compositi è duabus ipsius affectionibus.

I.

A similitudine materiæ cum composito & præsentiâ. *Cuinam simile est hoc compositum, & sine eo præsente nusquam fit?*

Can. Investigat.

Quod tale est quale compositum, & hoc nusquam fit nisi ubi illud adsit, id est hujus materia.

Vel, Quod simile composito adest, ubi id fit, est ejus materia.

Nisi sit efficiens.

Ex. Investigat.

Multæ thermæ sulphur, aut bitumen, aut utrumque olent, eáque ibidem reperiuntur. Unde colligitur eas ex eâdem materiâ constare.

II.

A non positione, & positione seu præsentiâ materiæ, cum composito. *Quid est sine quo hoc nunquam fit, & ubi adest, fieri solet?*

Can. Investigat.

Id videtur esse compositi materia, quod ubi adest, id fieri solet, & nusquam alibi.

Nec est compositi efficiens.

Ex. Investigat.

Nonnulli asserunt Crystallum nusquam generari, nisi ubi

hybern&

hybernæ nives maximè rigent. Unde eam colligunt ex nivibus solutis generari.

SECTIO II.

LOCI A MATERIIS

Cognatorum compositorum.

Artic. I. A materiis Superiorum: i. e. Generis & Speciei.

I.

A Materiâ Generis, vel generalis compositi. *Quænam materia est generalis compositi hujus specialis, aut singularis?*

Can. Investigat.

Quod est materia generalis compositi, est etiam generalis materia sui specialis, & singularis compositi.

Ex. Investigat.

Omnium metallorum materia, est Sulphur, & Argentum vivum. E. etiam auri. Elementa sunt materia omnium corporum perfectè mistorum. E. & hominis.

II.

A materiâ specialis compositi ad materiam singularis. *Quænam est materia speciei hujus singularis compositi?*

Can. Investigat.

Materia speciei, vel omnium unius speciei, est etiam materia sui singularis compositi.

Ex. Investigat.

Omnis calculi renum materia sunt cruditates E. eadem est materia calculi renum hujus agri.

Artic. II. A materiis Inferiorum: ut, Specierum, & Singularium.

I.

A specialibus materiis ad generalem. *Quænam sunt materiæ omnium specierum hujus generalis compositi?*

Can. Investigat.

Quod est materia omnium specierum unius generis, id est materia ejusdem generis, vel generalis compositi.

Ex. Investigat.

Elementa sunt materia omnium corporum tum imperfectè, tum perfectè mistorum. Quare ea sunt materia omnium corporum mistorum.

II.

A materiis singularium compositorum unius speciei. *Quænam sunt singulares materiæ omnium singularium hujus speciei?*

Can. Investigat.

Quæ sunt materiæ singulares omnium singularium unius speciei, earum species est materia ejusdem speciei.

Ex. Investigat.

Materia hujus, & illius Electri, & cæterorum, est aurum, & argentum permista. E. illa sunt materia omnis Electri.

Artic. III. A Contrarii materiâ speciali.

I.

Quid est materia specialis alterius contrarii compositi?

Can. Investigat.

Contrariorum compositorum materiæ speciales sunt contrariæ.

Vel, Si unum contrarium est specialis materia unius contrariorum compositorum, alterum quoque erit materia specialis alterius.

Ex. Investigat.

Meteora ignea, & aquea sunt contraria. Sed vapores, seu halitus frigidi, & humidi, sunt materia aqueorum meteororum. E. contrà, fumi, seu halitus calidi, & sicci, sunt materia meteororum igneorum.

Artic.

Artic. IV. A materiis Comparatorum.

I.

A Majori. *Quodnam majus adest ubi & quando hoc compositum magis seu copiosius gignitur?*

Can. Investigat.

Si majori posito majus fiat Compositum, id est ejus materia.

Nisi sit efficiens.

Ex. Invent.

Plures ac majores venti generantur, ubi & quando copiosiores halitus calidi & sicci generantur; ut in regionibus abundantibus locis concavis; & temporibus anni magis obnoxiis ejusmodi halitibus generandis: ut Vere, & Autumno. Unde invenitur ejusmodi halitus esse materiam ventorum.

II.

A Minori. *Ubi & quando hoc compositum minus fit, quid aliud ibidem minus adest?*

Can. Investigat.

Si compositum minus fit, ubi quid aliud minus adest, videtur hoc esse materia talis compositi.

Ex. Investig.

Venti minus copiosè gignuntur ubi & quando halitus calidi & sicci pauciores existunt. E. illi halitus sunt materia ventorum.

Locus

Locus à Pari, in Materiâ parùm utilis est: itaq; rarò, aut nunquam ab eo argumenta occurrunt apud autores, aut differentes de rerum materiis. Quapropter eum præterimus.

III.

A materiâ rei similis. *Quid simile est huic composito? & quænam illius materia?*

Can. Investigat.

Similium compositorum similes sunt materiæ.

Vel, Probabile est id esse materiam compositi, cujus simile est materia alterius similis.

Ex. Investigat.

Ut inveniamus ex quâ materiâ generentur fontes, consideremus simile. In Alembico, ex vaporibus coalescit aqua Stillatitia. Ità in montium cavernis, ex aère condensato, guttulæ; & ex eis tanquam materiâ, fontes generari videntur.

Artic. V. Loci materiæ compositi è binis cognatis.

I.

A Maiori, & Minori. *Ubi tale compositum majus fit, quid ibidem majus existit? & ubi minus, quid minus?*

Can. Investigat.

Quod ubi majus existit, aliquod compositum

positum

positum majus fieri solet ; & ubi minus, minus fit ; probabile est, illud tale esse talis compositi materiam.

Ex. Investigat.

Iis anni temporibus quando fumosi halitus magis abundant, venti plures, & vehementiores regnare solent. E. illi halitus videntur esse venti materia.

Hactenus de Materiæ inquisitione dictum est.







CAP. VII.

QUA RATIONE
Forma ſcrutanda ſit.

SECTIO I.

DE LOCIS INDAGANDI
Formam ab ejus Affectionibus

Artic. I. Loci inveſtigandi Formam à ſuis propriis Conditionibus præ-requiſitis ad informandum.

SEQUITUR *Inquiſitio Formæ.* Quæ ex hiſce Locis ſuarum Affectionum ſcrutanda eſt.

I. A propriis Conditionibus Formæ prærequiſitis ad informandum: ut,

* 1 *A fine introducendo in materiam.*

* 2 *A poſitione formæ in congruâ materiâ.*

* 3 *A formæ coaleſcentiâ cum materia in unum compoſitum.*

II. A

II. A propriis Affectionibus formæ, non prærequisitis ad informandum: ut,

* 1 *A non positione formæ in materiâ, & composito.*

* 2 *A sublatione vel interitu formæ, & compositi.*

III. Loci ab Officiis formæ respectu compositi: sive, ab iis quæ forma tribuit composito.

* 1 *A tributione essentiæ perfectæ composito.*

* 2 *A tributione differentiæ essentialis composito.*

3 *A tributione distinctionis, à priori.*

* 4 *A tributione operationum.*

IV. Loci compositi è pluribus formæ affectionibus: ut, * 1 *Ab eo sine quo compositum non constituitur in specie, seu essentia perfectâ; & per ipsum constituitur.*

* 2 *A constitutione in essentiâ perfectâ & distinctione.*

* 3 *A positione & sublatione.*

* 4 A

4 Atributione essentiæ perfectæ, & distinctionis, & operationum.

Locus I.

A fine introducendo propter quem agens disponit materiam. *Quinam ille finis hac in re est?*

Can. Investigat.

Finis propter quem agens disponit materiam, ut eum introducat, est compositi forma.

Ex. Investig.

Quid est cujus gratiâ Architectus disponit materiam domûs, ut lapides, ligna, aliáque, ut ipsum in ea introducat? Figura idonea domui. E. ea est forma Domûs.

II.

A positione vel inexistentiâ formæ in congruâ materiâ. *Quid est quo posito in hac materiâ, hoc compositum necessariò fit?*

Can. Invent.

Id est compositi forma, quo posito in materia, compositum necessariò fit, seu constituitur.

Ex. Invent.

Quid est quo introducto in massam argenteam idoneæ molis, necessariò fit poculum? Figura poculi. E. ea est forma illius poculi.

III. A.

III.

A formæ coaleſcentiâ cum materiâ in unum compoſitum. *Quid eſt quod cum hâc materiâ coaleſcit in hoc compoſitum?*

Can. Scrutation.

Id eſt forma compoſiti, quod cum materiâ in unum coaleſcit compoſitum per ſe.

Ex. Scrutation.

Quodnam cum corpore humano in unum per ſe compoſitum, i. e. *hominem, coaleſcit? Anima rationalis: Ea igitur eſt forma hominis.*

Artic. II. Loci à proprietatibus formæ non prærequiſitis ad informandum.

I.

A non poſitione formæ in materiâ, & non conſtitutione compoſiti. *Quid eſt quo non poſito in hac materia, non fit hoc compoſitum?*

Can. Inveſtigat.

Sine quo poſito in materia, non conſtituatur aliquod compoſitum, in ſpecie, id eſt hujus forma.

Hic Canon probabilis eſt, non neceſſarius.

Ex.

Ex. Investigat.

Quid est sine quo posito in Materiâ Mundi, Mundus non esset? Pulcherrimus hic ordo, seu ordinata series corporum naturalium, putà Cœli, Elementorum, & corporum mistorum. E. hic ordo seu dispositio est forma Mundi.

II.

A sublatione seu interitu formæ, & destructione compositi. *Quonam sublato seu pereunte, hoc compositum immediatè dissolvitur?*

Can. Investig.

Id est rei forma quo pereunte, compositum immediatè dissolvitur.

Materia autem non perit: Vel, Si malis, *Quo sublato ibidem permanente materia, compositum mox dissolvitur, id fuit ejus forma.*

Ex. Investigat.

Quid est in nave, quo abolito, destruitur navis? Figura idonea navi. E. ea est forma navis.

In quavis arte si aboleatur Methodus, ars destruitur. E. ea est forma artis.

Artic. III. Loci ab Officiis formæ respectu compositi: sive, ab eis quæ forma tribuit composito.

I.

A tributione essentiæ perfectæ composito: *Quid eam huic tribuit?*

Can

Can. Investig.

Id est rei forma, quod eidem tribuit essentiam perfectam.

Vel, Id est rei forma, per quam res est id quod est: Sive, Id vera cujusq; rei forma est, quod rem in certâ specie constituit. Atque nulla certior est veræ formæ nota, & indicium, quàm tributio essentiæ completæ composito.

Ex. Investigat.

Quid Hominem in suâ specie constituit? Sive, per quodnam Homo est Homo? per animam rationalem. Itaque ea est forma Hominis.

II.

A tributione differentiæ essentialis composito. *Quid eam huic dat? vel, unde sumitur?*

Can. Investigat.

Id est rei forma, à quo ejus differentia essentialis, seu constitutiva sumitur.

Ex. Investig.

Differentia constitutiva Hominis est rationale. Sed unde id sumitur? Ab anima rationali. Quare ea anima est forma Hominis. Tali argumento utitur Thomas 1. p. q. 76. art. 1.

III.

A tributione distinctionis composito, à priori. *Quid hoc ità distinguit?*

Can.

Can. Investigat.

Id est rei forma, quod eam ab omnibus aliis distinguit, à priori.

Vel, Id per quod una res specie ab aliâ differt, est forma ipsius.

Ex. Investig.

Anima rationalis est id quod Hominem à cæteris omnibus specie distinguit. E. est forma ipsius.

IV.

Atributione operationum. ***Quid huic tribuit operationes tanquam earum primarium principium?***

Can. Investig.

Id est rei forma, quod est primarium principium operationum in eodem composito.

Nam præter Formam, nihil est quod originalis operationum Caussa esse possit: quoniam nihil agit, nisi per actum, & formam. Instrumentum autem non est primarium operationum principium, sed secundarium. Canon noster concordat cum illo axiomate à Thoma tradito 1. p. q. 76. art. 1. corp. sc. *Illud quo primo aliquid operatur, est forma ejus, cui operatio tribuitur.* Atque hoc infallibile signum formæ à quibusdam vocatur.

Ex. Investig.

Quodnam est primarium principium omnium humanarum operationum, ut intellectionis, volitionis? &c. Anima rationalis. Ea igitur est forma hominis. Eandem formam Thomas loco modò citato probat hoc argumento: *Propria operatio Hominis, in quantum est*

Homo

Homo, est intelligere: sed ejus operationis principium, est anima rationalis. Ea igitur est forma hominis. Eàdemque ratione utuntur complures alii, Theologi, & Philosophi: & desumptum ferè est ex Aristot. 2. de Animâ c. 2. Nec ullum ad hanc rem confirmandam è Philosophiæ fontibus, efficacius argumentum afferri posse credunt Thomas loco citato, & Durand. in 2. d. 17. 4. 1.

Artic. IV. Loci Inventionis Formæ compositi à pluribus ejus affectionibus. I.

Ab eo sine quo compositum non constituitur in specie, seu essentiâ perfectâ; & per ipsum constituitur. *Quodnam illud est in hoc composito?*

Can. Investigat.

Id est compositi forma, sine quo posito in materiâ ejus, id non constituitur in essentiâ perfectâ; & posito, constituitur.

Ex. Investig.

Quid est sine quo virtus non constituitur in specie; & posito, constituitur? Mediocritas. Ea ergò est Caussa formalis virtutis.

II.

A constitutione in essentiâ perfectâ, & distinctione. *Quid positum hanc rem in specie constituit, & ab aliis omnibus sejungit?*

Can.

Can. Investig.

Id est forma compositi, quo posito, illud in certâ specie constituitur, & ab aliis omnibus sejungitur.

Ex. Investig.

Id est vera Hominis forma, per quod est Homo, & ab aliis sejungitur. Sed ità se habet anima intellectiva, respectu hominis. Est igitur vera ejus forma. Quod argumentum Zabarella lib. de ment: human. fusè probat esse ipsius Aristotelis.

III.

A positione, & sublatione formæ, & compositi. *Quonam posito in hac materia, hoc compositum constituitur, & sublato, destruitur?*

Can. Investig.

Id quo posito in materia, aliquod compositum constituitur, & sublato, dissolvitur, est ejus forma.

Ex. Investig.

Inductâ figura domûs, in materiam domûs, ut lapides, ligna &c. construitur domus; eâdémque figurâ abolitâ, destruitur. E. ea est forma domûs.

IV.

A tributione essentiæ perfectæ, & distinctionis, & operationum. *Quid ea tria tribuit huic composito?*

Can.

Can. Investig.

Id est rei cujusque forma, quod ei tribuit essentiam propriam, distinctionem à priori, & operationem.

Sola namque forma ea præstat.

Ex. Investig.

Unde homo habet essentiam Hominis, & distinctionem essentialem, & operationes? Ab animâ rationali. Quapropter ea est forma Hominis: Sic autores nonnunquam in uno argumento tria Formæ officia conjungunt ad formam validiùs confirmandam.

Hactenus Investigatio formæ, ex propriis ejus Affectionibus, declarata est.

SECT. II.

DE LOCIS A FORMIS cognatorum compositorum.

Artic. I. De Locis à formis inferiorum compositorum.

IN Caussâ formali investigandâ exiguus est usus Locorum à Cognatis formis; tradendus tamen aliquot, nè talis Sectio, qualis in cæteris Caussis tradita est, in hac deesse videatur.

Locus

Locus I.

A Speciebus formæ ad generalem.

Quænam ſunt formæ ſpeciales hujus generalis formæ?

Can. Inveſtig.

Quæ ſunt formæ ſpeciales unius generis, earum quoque genus erit forma earum generis.

Ex. Inveſtig.

Anima rationalis eſt forma Hominis; leonina, Leonis; equina, equi; & in reliquis animalibus ſua cujuſque anima, ejus forma eſt: Unde colligatur formam animalis in genere, i. e. *animam ſenſitivam, eſſe animalis formam.*

II.

A Singularibus formis ad ſpecialem.

Quæ ſunt formæ ſingularium hujus ſpecialis compoſiti?

Can. Inveſtig.

Quæ ſunt formæ ſingulares ſingularium compoſitorum unius ſpeciei ultimæ, illarum ſpecies erit forma ſpeciei.

Ex. Inveſtig.

Forma Socratis eſt Socratis anima; & Platonis, ſua: itemque ſe habet in cæteris hominibus. Sed anima rationalis eſt earum animarum ſpecies. Itaque ea eſt Hominis forma.

Artic. II. A formâ contrarii compositi.

I.

Quænam est forma contrarii hujus compositi?

Can. Investig.

Si unum contrarium est forma unius compositi, alterum quoque erit forma alterius contrarii.

Hic Locus locum habet in formis accidentalibus duntaxat.

Ex. Investig:

Formale virtutis moralis, est mediocritas inter extrema. E. contrà, vitii formale est extremitas, seu excessus, aut defectus.

Artic. III. A Comparatis Formæ.

I.

A pari formâ. *Quænam est forma paris compositi?*

Can. Investig.

Si unum parium est forma unius compositi, alterum quoque erit forma alterius paris compositi.

Ex. Investig.

Forma Socratis est sua anima. E. & Platonis, Platonis anima.

II.

A formâ rei similis. *Quænam forma est*

est alterius similis.

Can. Investig.

Similium similes sunt formæ.

Ex. Investigat.

Forma domûs est figura ejus, per quam est domus, vel qua domus usui. E. similiter forma navis erit sua navis figura.

Cæteros Locos à cognatis Formæ, cùm ad Formam scrutandam, parùm, aut nihil utilitatis habere videantur, prætermitto.

Hactenus de Ordine, & Viis investigandi rerum Caussas dictum est.



Cap. VIII. DE INVESTIGATIONE Effectuum.

Artic. I. De Ordine investigandi Effectus.

RESTAT tandem ut de rerum Effectibus inquirendis dicamus.

Quemadmodum in Caussis scrutandis, ita in rei cujusque Effectibus indagandis, recto ordine, ac Modo progrediendum est.

Ordo inquirendi Effectus cujusque generis Caussarum, est Syntheticus, seu Compositivus: juxta naturalem ordinem generationis seu productionis Effectuum.

Quo primò investigatur proximus rei Effectus: eóque invento, ejus quoque immediatus inquiritur: itémque hujus immediatus: & sic deinceps in reliquis remotioribus, & posterioribus effectibus, quousque progredi velimus.

Atqui

Atqui hic ordo contrarius est ordini investigandi Caussas: qui analyticus est, sicut initio dictum est, & procedit à posteriori Caussâ ad priorem perquirendam. Attamen utrobiq; similiter semper gradatim proceditur, à propinquiori ad remotius.

Quapropter Effectuum Investigatio consimilis est inquisitioni Posterorum cujuspiam hominis in tabulâ Genealogicâ: ubi primò inquiritur ejus filius, vel filii; deinde, nepos, seu nepotes: & sic deinceps descendendo, juxta ordinem generationis.

Itaque, ut summatim dicam, rerum Caussæ perscrutandæ sunt ordine resolutivo, regrediendo ordine contrario ordini naturæ seu generationis: incipiendo à Caussâ postremâ, & proximâ effectui proposito; & à posteriori ad priorem gradatim pergendo. Effectus autem perquirendi sunt ordine compositivo, progrediendo juxta naturæ & generationis ordinem: incipiendo à primo & proximo rei effectu; & sic deinceps à priore ad posteriorem procedendo.

Ex.gr. *Investigaturus Solis Effectus, primò quæro primum & proximum; qui est illuminatio: deinde hujus proximum, qui est Calefactio: postea hujus calefactionis effectum; qui est Generatio, ac Conservatio*

rerum generatarum: ut, Metallorum, Plantarum, Animalium &c.

Idem ordo in Mediis cujusvis Finis perquirendis instituendus est. Ut, *in scrutandis Mediis felicitatis activæ, seu actionis virtutis: proximum Medium, est virtus; virtutis generandæ medium, sunt crebræ actiones moderatæ. Atque postremum medium in inventione, est primum in executione.*

Objiciet hîc fortassis quispiam contra id quod suprà diximus: Effectus inveniri ordine compositivo juxta ordinem naturæ & generationis eorum. At media sunt effectus Finis & inveniuntur ordine resolutivo: nam finis resolvitur in medium proximum, & hoc in remotum. Respondeo eum esse naturalem ordinem intentionis, & caussationis mediorum, quatenus media sunt. Finis enim primò Caussat proximum medium; deinde, remotum; postea, remotius. At quatenus media producunt Finem, eatenus non sunt effecta Finis, sed Caussæ efficientes productionis finis: qui finis productus, propriè loquendo, non est finis, & Caussa; sed effectus.

Effectus Materiæ, & Formæ*, i. e. *eorum Composita eodem ordine inquiruntur.

Ut, *Ex aëre in montium cavernis condensato, proximè gignuntur vapores; ex vaporibus magis condensatis, guttæ; ex guttis unitis, fontes; ex fontibus concurrentibus, fiunt flumina.*

Hactenus de ordine investigandi effectus.

Artic. II. De modo scrutandi Effectus generatim.

Reliquum est, ut de Modo investigandi Effectus dicamus: sed breviter ac summatim: quandoquidem horum modi inquisitionis

inquisitionis non difficilè colligantur è modis investigandi suas Caussas.

Rerum Effectus in quolibet genere, i.e. *Effectus Efficientis, Medium, Materiatum, & Formatum, investigantur per Locos, ac Canones indagandi Effectus. Qui colliguntur è Locis, ac Canonibus suarum Caussarum: aut à propriis Affectionibus earum; aut à Caussis cognatorum Effectuum.*

Caussarum enim & Effectuum Loci, ac Canones inter se mutuò correspondent. Itaque paucos (quasi Exemplorum vice) afferre, satis fit.

Exempla modi scrutandi Effectum Efficientis.

Ex Loco Efficientis, à contactu, & remotione, & ex [illegible] Canone, *Id quo tangente aliquid, actio quæpiam in ipsum fit; & remoto seu cessante, actio ea cessat fieri, est ejus efficiens*; colligatur hic Locus, ac Canon inquirendi effectum: A contactu, & remotione: *Quo tangente aliquid, hoc patitur; & remoto, effectus vel actio cessat fieri, ea est effectus ejus quod tangit patiens.*

Unde ad inveniendum Venti effectus, hoc argumentum ducatur: *Ventis spirantibus, & quiescentibus quinam effectus proveniunt? Spirantibus, aër à putredine vindicatur, & nubes efferuntur ad terram irrigandam, ac fœcundandam: eis autem aliquamdiu cessantibus, aër putrescit, & solum arescit. E. ventus illos effectus, & utilitates præstat.*

Item, à Loco Efficientis, à Contrariis Efficientibus, & Canone; *Contrariorum effectuum contraria sunt Caussæ*, consequitur hìc Locus, ac Canon indagandi effectum: A contrariis effectibus: *Contrariorum contrarii sunt Effectus.* Unde ad reperiendum Virtutis effectum argumentari licet. *Vitium quid gigit? Reddit homines miseros. E. virtus eos efficit beatos.* Item, *Crebræ immoderatæ actiones morales gignunt vitium. E. moderatæ, virtutem.*

Exemplum rationis indagandi Medii ad Finem.

De Fine indagando traditus est Locus, ac Canon, ab expetitione finis per se: *Quod ab aliquo per se expetitur est ejus finis. Itaque ab appetitione propter aliud: Quod ab aliquo appetitur propter aliud quoddam est ejus Medium.*

Ut, *Quid appetitur propter felicitatem? Virtus, E. ea est medium felicitatis. Quid appetitur sanitatis restituendæ gratiâ? Medicamentum. Id igitur est hujus medium.*

Item, à Finis Loco, & Canone: A prioritate intentionis, & posterioritate executionis: *Quod est aliquo prius intentione, & posterius executione est ejus finis.* Si modò eorum unum ordinetur ad alterum. Ex quo sequitur, A posterioritate intentionis, & prioritate executionis: *Quod est aliquo posterius intentione; & prius executione, est ejus medium.*

Ut, *Bellum est victoriâ posterius, ordine intentionis, & prius executione. E. est ejus medium.* Estque Mediorum scrutatio, atque examen in rebus consultandis, & agendis, maximi usûs, atque utilitatis: etenim in Consultationibus, potissimùm inquiruntur Media ad finem propositum conducentia.

Exempla investigandi materiæ effectum materiatum: sive, quid ex eâ componatur, tanquam ex materiâ.

Effectu

effecta rerum materiata, & formata (ut antè dictum) rarò quæruntur.

Sed modus, seu Loci, ac Canones ea investigandi consimiliter ex Locis, ac Canonibus suarum Caussarum petendus est.

Sic in Materiâ, ex Loco, A dissolutione compositi, & Canone, *Id in quod aliquid dissolvitur, & manet post eam dissolutionem, est ejus materia*; Exceptâ solâ formâ humanâ *i. e.* animâ rationali. peti potest hic materiati Locus, ac Canon à dissolutione: *Quod dissolvitur in quippiam manens post eam resolutionem, est hujus materiatum.*

Ut, *Electrum in quid dissolvitur? In aurum, & argentum. E. ex eis compositum est, tanquam ex materiâ. Corpora mista in elementa resolvuntur. E. illa sunt horum materiata.*

Exempla scrutandi Formatum.

In formâ: A tributione essentiæ perfectæ. *Quod alicui tribuit essentiam perfectam, est ejus forma*: Colligi potest acceptione essentiæ perfectæ. *Id quod à quopiam accipit suam essentiam perfectam, est ejus formatum.*

Ut, *Quid est quod ab animâ rationali suam accipit essentiam specificam?* Vel, *Quodnam per eam in suâ specie constituitur? Homo. Is igitur est animæ rationalis formatum.*

A formâ similis compositi: *Similium compositorum, similes videntur esse formæ.* Itaque, *Quod est formatum unius rei similis, ejus simile quoque videtur esse formatum alterius rei similis.*

Ut, *Ex figurâ Domûs constat Domus, tanquam ex suâ formâ. E. & similiter ex figurâ navis, constat navis, ut* ~~*suum formatum*~~ ex suâ formâ.

Atque ad eundem modum ex reliquis omnibus Locis, ac Canonibus inveniendi Caussas, Loci quoque ac Canones pervestigandi suum cujusque effectum, seu Caussatum facilè

cilè colligi possunt; quapropter haud opus est in illis diutiùs immorari.

Cæterùm, hunc tractatum de Investigatione, & Caussarum, & Effectuum, concludam hoc monito.

Ad rerum Caussas, & Effectus inveniendos compendiosior via est, illa investigare primò ex præcipuis, atque utilissimis Locis ac Canonibus Investigationis. Quos Locos Caussarum idcirco asteriscis præfixis insignivimus. Vbi autem vera Caussa aut effectus quem quærimus ex horum aliquo inventus fuerit, & deinde ex Locis Examinis illius generis, comprobatus, nihil opus erit cæteros inventionis Locos perscrutari.

Hactenus de Investigatione Caussarum

Dictum est.

Methodi



METHODI COGnoscendi Caussas.

LIBER SECUNDUS, DE EXAMINE CAUSSARUM.

Cap. I.

De generali Caussarum Examine

Articulus I. De Locis ab Affectionibus Caussæ in genere, prærequisitis, seu Conditionibus, ut possit Caussare.



UEMADMODUM rerum Caussæ investigandæ sint, explicatum est libro superiore: sequitur ut altero libro exponamus, qua ratione & modo Caussæ examinandæ sint; ut veras falsásque dijudicemus, ac dignoscamus.

Quælibet

Quælibet rei Caussa proposita quam dijudicare velimus, utrùm ea vera sit, néc-ne, examinanda est per argumenta. Quæ invenienda sunt ex Locis, ac Canonibus examinandi Caussas. Locus continet & indicat Medium, & Canon Majorem propositionem Syllogismi.

Canones examinationis sunt duplices: alii, Refutationis; alii, Confirmationis. Ex illis, ducuntur argumenta refellendi, ac judicandi quæ non sint veræ Caussæ: ex istis, argumenta confirmandi, ac judicandi veras Caussas.

Loci igitur ac Canones Caussarum sunt Notæ ac Normæ, ad quas rerum Caussæ, quas bene judicare ac scire velimus, examinandæ sunt: non enim scimus quicquam, nisi id quod probavimus, ac rectè judicavimus. Ex illis Locis, ac Canonibus omnia vera argumenta Caussas refellendi, aut confirmandi sumuntur, eisque nituntur, tanquam suis principiis ac fundamentis; atque in eadem resolvuntur.

Modus examinandi Caussas, est duplex; generalis, ac specialis.

Generalis

Generalis est ex Locis, ac Canonibus Caussæ in genere: qui communes sunt omnium Caussæ specierum: i. e. Efficientis, Finis, Materiæ, Formæ.

Specialis modus est, proprius singularum specierum Caussæ, per speciales Locos, ac Canones cujusque.

AD examinandam igitur quamvis propositam Caussam; utpote Efficientem; Finem; Materiam; Formam; primo considerandi sunt loci, ac Canones Caussæ in genere. Sin autem eorum aliquis non convenit Caussæ, quam examinamus, ea non erit vera rei propositæ Caussa, ac proinde nec Efficiens, aut Finis, aut Materia, vel Forma ejusdem.

Deinde, eadem Caussa examinanda est ex specialibus Locis, ac Canonibus illius generis Caussarum, sub quo Caussa quam examinamus, continetur.

Generales Loci ac Canones primò tradendi sunt: ut in genere, & semel dicantur, nec repetantur in specialibus Caussis tractandis.

Loci generales examinandi Caussas sunt.

I. A generalibus prærequisitis Affectionibus, seu Conditionibus Caussæ in genere, ad Caussandum: ut,

1 *Locus ab existentiâ Caussæ.* 2 *Ab ubi.* 3 *A tempore.* 4 *Ab ordine naturali.* 5 *A conditione, ut Caussa sit positivum quid, ac reale, quæ debet esse Caussa positivi, ac realis effecti.*

II. Ab affectionibus Caussæ in genere, non prærequisitis ad Caussandum: ut, 1. *Ab unitate Caussæ in uno eodémq; genere, & ordine seu gradu.* 2 *Ab enumeratione, ubi dantur seorsum plures Caussæ universales ejusmodi effecti, ac confutatione cæterarum præter unam reliquam.* 3 *A Caussâ Caussæ Caussati.* 4 *A Caussâ effecti effecti.*

I. Locus.

Primus Locus considerandus in omni Caussâ examinandâ, est ab existentiâ Caussæ: *Et examinare oportet Caussam propositam, an ea non existat.*

Canon.

Canon Refutationis.

Omnis Caussa est aliquid actu.

Qui Canon etiam negativè efferri potest: ut *Quod non est, nullius rei Caussa est.*

Scholastici idem axioma sic formant, *Nihil potest esse Caussa, nisi in quantum est ens.* Nam ad omnem Caussam necessariò ac primò omnium requiritur, ut ipsa existat, sive ut sit ens: esse autem seu existere, & esse ens, idem est. Atqui hoc requisitum non est affectio aut conditio propriè loquendo: cùm existentia sit rei existenti intrinsecum, nec ab eâ distinctum: attamen opinor, licet ipsum hic cum requisitis Caussæ connumerare. Cæterùm, Canon nonnunquam traditur speciatim, de Caussâ efficiente: ut à Plutarcho *lib. de primo frigid.* ubi ait, *ὡς τῷ εἶναι, ἐνεργεῖν ἀκολουθεῖ, οὕτω καὶ τῷ μὴ εἶναι, τὸ μὴ ἐνεργεῖν* i. e. *ut essentiam* (sive existentiam) *consequitur operatio; ità ad non esse, non operari.* Idem innuit Aristoteles 4. *Meteor. c.* 4. *text.* 16. inquiens, *Quæ non sunt, quomodo deambulabunt, aut loquuntur?* Itémque alii Canonem specialiter efferunt de Efficiente: ut, *Nihil agit, quod non est.* Item, *Id quod non est, non habet vim agendi.* Ut apud Colleg. Conimb. *ad* 11. *de Generat. & Corr. c.* 4. 9. 18. *art.* 5. Attamen potest Canon semel tradi de Caussâ in genere. Nec verò intelligimus omnem Caussam debere esse ens reale: sed in Fine sufficit, esse ens intentionale, seu ens rationis.

Exempla Refutationis in Caussis specialibus.

Primò, in Efficiente.

Non datur vacuum. Non igitur ob vacuum res tendunt sursum. Ut quidam opinati sunt.

Terrâ non consenescit, & fatigatur ætate. Non ergò ea Caussa est sterilitatis soli in nonnullis locis, ubi olim fertile fuit. Est argum. Columellæ: quod fusè & eleganter

ganter ab eo explicatur in Præfat. & rursus lib. 2. c. 1.

Sic Aristoteles probat, *Orbem terrarum non ob latitudinem suam quiescere. Quia non est latæ figuræ.* Contra Anaximenem, Anaxagoram, & Democritum. 2. de Cœlo. c. 13. t. 27. et similibus argumentis alibi utitur.

Nusquam reperiuntur sub Septentrione ingentes montes ferri ac magnetis feracissimi. Non ergò illi Caussa sunt dirigendi acum nauticam ad septentrionem. Ut existimat doctissimus Philosophus Fracastorius cap. 2. de Sympath. & Antip.

Exempla Refut. in Caussâ Instrumentali.

Deus non consultat. E. non regit Mundum consilio, propriè loquendo.

Non rarefit aqua æstu marino. E. Luna non attollit mare, & æstum concitat per rarefactionem. Contra opinionem Laurentianorum Coloniensium, Albertistarum, Rogerii Baconis, Valesii, Contareni, aliorúmque plurimorum. Antecedens probatur, quia si rarefieret aqua, naves tunc altiùs deprimerentur, ac propterea nonnunquam submergerentur. Quod accidit in magno illo Lusitanico terræ motu, Anno 1531.

Hujus autem Loci ac Canonis argumenta rarissimè apud autores occurrunt in Caussâ finali, aut materiali, aut formali: quia vix unquam accidit, ut quis opinetur id quod omnino non est, esse aliquam illarum Caussarum. Quapropter earum exempla prætereo.

II.

A tempore. ***An non sit simul tempore cum hoc effectu.***

Can.

Can. Refut.

Caussa est simul tempore cum suo effectu.

Ἅμα τὸ αἴτιον καὶ οὐκ αἴτιον aït Arist. 2. Rhet. c. 23. & 2. Poster. 11. Quî enim fieri potest, ut quicquam pendeat ab eo quod tunc non est? Nec verò caussa debet esse semper simul tempore cum suo effectu, nisi dum actu caussat: ut pater non semper permanet cum suo filio. Idem Canon solet etiam tradi negativé. ut, *Nulla Caussa est posterior suo effectu.* Et, *Nullum posterius est Caussa prioris.* Quibuscum concordat illud axioma effecti: *Nullus effectus est prior suâ Caussâ.*

Exempla Refutandi Efficiens.

Montes & insulæ exstiterunt ante Diluvium universale. Cùm ad Mundi utilitatem, & ornatum pertineant. *Non igitur Diluvium eorum Caussa fuit: saltem non omnium.* Uti nonnulli arbitrantur.

Autorem doctrinæ Numæ Pompilii (quia non exstat alius) falsò Samium Pythagoram edunt: quem Servio Tullo regnante Romæ, centum ampliùs post annos, juvenum æmulantium studia cœtus habuisse constat. Livius lib. 1.

Etesiæ in Ægypto adversùs Nili ostium spirant, nonnisi post Solstitium æstivum: quo tempore Nilus ibidem inundare incipit. Quare illi non sunt Caussa Niliacæ inundationis. Quo argumento Herodotus lib. 2. c. 2. Diodor. Siculus lib. 8 & Seneca 4. nat. quest. c. 2. illam opinionem confutant: cujus autor Thales Milesius perhibetur.

Terra non quiescit propter Cœli conversionem. Etenim Terra olim quiescebat, antequam Cœlum (ut Empedocles prædicabat) *converteretur.* Sic Philosophus contra ipsum disserit 2. de Cœlo c. 13. text. 87.

Ex. in Caussâ iusirumentali.

Antiquissimi Philosophi non ope artis Logicæ disserebant. Nam ea tunc temporis inventa non fuit.

Ex. refellendi finem.

Folia non sunt facta ad tuendos flores. Folia enim iis quæ flores ferunt, non omnibus sunt, quum flores ferunt. Pruni enim, Amygdali, aliæque, flores fundunt, quàm frondes, priùs. Scaliger Exercitat. 177. f. 3.

Ex. refutandi Materiam.

Sorices generantur in navibus; in quibus eodem tempore nulli alii affuerunt E. illi non generati sunt ex semine aliorum.

E. Pyramides Ægyptiæ antiquissimæ conditæ fuerunt ante adventum Israëlitarum in Ægyptum.

Non ergò illæ constructæ sunt ex lateribus quos in Ægypto coxerunt. Ut quidam opinati sunt. *Grandines sæpe fiunt quando nullæ nives adsunt. E. non fiunt ex nivibus.* Uti credidit Ovid. qui 6. Metamorph. canit,

nivibus quoque mole rotatis
Astringi, & spissâ glomerari grandine nives.

III.

Ab ubi. *An Caussa proposita non adsit ibidem ubi fit effectus.*

Can. Refut.

Omnis Caussa adest ubi Caussat.

Hunc locum Caussæ vocare malui, ab ubi, quàm à Loco: quia Locus est proprius corporis: at ubi generalius est: est enim circumstantia necessaria & communis omnium entium, præter primum ens, *i. e.* Deum. Intellige Canonem, Caussam adesse, vel essentiâ, & præsentiâ, vel saltem virtute, ac

ac dum res fit, vel est in fieri: ut loquuntur. Quo sensu dicitur, *Agens, & patiens esse simul.* Et Damascenus ait, *Angelus ubi est, ibi operatur.* Idem Canon negativè effertur: ut, *Nihil agit, ubi non est.*

Ex. Refut. in Efficiente.

Sextus Roscius Amerinus non occîdit patrem: Quia Romæ non fuit, ubi occisus est. Est argumentum Ciceronis in orat. pro eodem.

In Æthiopiâ nullæ sunt nives. Non igitur illæ cum soluta sunt efficiunt Niliacam exundationem. Quod credidit Anaxagoras. Quem hac ratione redarguit Herodotus in Euterpe: & Diodor. Siculus lib. 2.

Venti non sunt simul cum Cometis. E. non aguntur à ventis. Ut existimavit Epigenes apud Senecam lib. 9. nat. quæst. c. 8.

Sic Philosophus disputat contra placitum Anaximenis, *Caussam terræ-motûs non esse quòd terra tam cùm madet quàm cùm resiccatur, rumpatur; & à fragmentis ingentibus incidentibus quatiatur. Quam enim ob Caussam, hæc affectio quibusdam in locis sæpenumero fieri solet, quæ ab aliis nullo tali excessu dissident? Atqui dissidere oportuit.* Meteor. lib. 2. c. 14. text. 10.

Ex. refellendi Causs. instrum.

Canes non sunt calidi, sed frigidi. E. non irascuntur per calorem.

Tonitru non fit extinctione ignis nubibus intercepti: Quia non in illis extinguitur. Aristot. 2. Meteor. c. 8. adversùs Empedoclis, & Anaxagoræ sententiam.

Ex. refutandi Finem.

Flores datos ob fructum, vel semen, tam falsa, quàm vulgata sententia. Nam & fructus sine flore; Oleæ, Fici, Quercui: & flos sine fructu; Iridi, Jesemino Narcissi speciei. Scaliger Exerc. 176. s. 2.

Ex

Ex. Ref. Materiæ.

Cryſtallus gignitur in nonnullis calidiſſimis regionibus; ubi glacies nulla eſt. E. non generatur ex glacie.

Galaxias eſt in Cœlo, quò nulli halitus evehuntur, juxta Ariſtotelis doctrinam. E. non conſtat ex halitibus incenſis.

Ut placet eidem Philoſopho 1. Meteor. c. 8.

IV.

Ab ordine naturali, ſeu dependentiæ. *Eſtne hæc res natura ſeu dependentia poſterior effectu propoſito?*

Can. Refut.

Omnis Cauſſa eſt natura prior eo cujus Cauſſa eſt.

Τὸ αἴτιον πρότερον οὗ αἴτιον: aït Ariſt. 2. Poſter. context. 92. Idémque aliis multis in locis inculcat. Prius autem naturâ dicitur id, à quo aliud pendet. Intelligitur Canon de re quæ eſt Cauſſa, quatenus abſolutè ſpectatur; non relativè, quatenus Cauſſa eſt: ſic enim naturâ ſimul eſt cum effectu: quia relata ſunt ſimul naturâ. Neque verò pugnat hic Canon cum illo ſuprà tradito, *Cauſſa eſt ſimul cum effectu. Qui de tempore intelligitur*, *utì dictum eſt.* Quorum axiomatum ampliorem expoſitionem, ac conciliationem tradunt Metaphyſici: ac inprimis Suarez Met. diſput. 26. ſect. 2.

Ex. refutandi Efficiens.

Bona opera ſunt naturâ poſteriora juſtificatione. E. ea non ſunt Cauſſa juſtificationis. Antecedens probatur, quoniam oportet hominem juſtificari, antequam poſſit bona opera præſtare.

Actus perfecti naturâ poſteriores ſunt habitu. Illi igitur non ſunt Cauſſa habitûs.

Ceterùm

Cæterùm, vix unquam accidit, ut quis statuat, aut existimet, id esse instrumentum, aut materiam rei, quod eâdem naturâ seu dependentiâ posterius est. Quapropter earum Caussarum idonea exempla ad hunc locum afferre, minimè necessarium est.

Ex. refellendi formam.

Summus calor in igne, est naturâ posterior igne. E. non est ignis forma.

Ratio est naturâ posterior homine. E. ea non est hominis forma.

V.

A conditione Caussæ, ut ea sit reale quid ac positivum, quæ debet esse Caussa realis ac positivi effecti. *Et, An Caussa proposita effecti realis ac positivi, sit privatio, aut negatio.*

Can. refut.

Caussa realis ac positivi effecti, est quid reale ac positivum.

Vel, Nulla negatio, aut privatio, est Caussa realis, aut positivi effecti: per se.

Ex. refellendi Efficiens.

Quies non est quid reale ac positivum: Sed privatio motûs *at frigus est reale ac positivum quid. E. non est Caussa frigoris, per se.* Quanquam per accidens dicatur Caussa, quatenus est privatio motûs, qui calorem suscitat.

Ex. refutandi Instrumentum.

Per inopiam caloris, sicut ea est privatio quædam, nihil fieri potest. E. fœmina non est facta per inopiam caloris.

Ex

Ex. refutandi finem.

Nullus finis propriè loquendo, est privatio cujusque rei. Privatio enim magìs amatur tanquam medium ad obtinendum bonum quid, vel ad evitandum malum, quàm ut finis propriè.

Indolentia est privatio aut negatio doloris. Non igitur ea est finis, aut summum bonum hominis. Contra Hieronimum apud Ciceron. 2. de finibus: & Epicurum apud Laërtium lib. 10 ubi finem hominis statuit μήτε ἀλγεῖν κατὰ σῶμα, μήτε ταράττεσθαι κατὰ ψυχὴν *i: e: non dolere corpore, nec animo perturbari.*

Quies est privatio quædam. sc. motûs. E. non est propriè finis, propter quem gravia ac levia ad suum locum naturalem tendunt. Ut asserunt Philosophi Conimbricenses ad 2. Phys. c. 7. q 12: art. 1. Sed verus finis est, ut illa conserventur in suo loco naturali.

Ex. refutandi Materiam:

Ex non quanto fieri quantum, Platonicorum somnia sint. Non enim quicquam confieri potest ex privatione, aut negatione, tanquam ex materiâ. Scaliger Exercitat. 65. s. 1.

In Formâ, non memini quemquam statuere privationem, aut negationem alicujus compositi formam esse.

Artic. II. Loci ab affectionibus Caussæ in genere, non prærequisitis.

I.

Ab unitate Caussæ. ***Et, considerandum, an aliud quid Caussa sit, effecti propositi, in eodem genere Caussæ nec in remotiori, aut propinquiori gradu.***

Can.

Can. Refut.

Caussa in uno genere Caussarum, & gradu, est unica integra. Itaque si una talis confirmatur, alia refutatur.

Canon potest etiam negativè efferri: ut, *Unius effecti non possunt esse plures Caussæ totales ejusdem generis, & ordinis.* Colleg. Conimbric. ad 2. Physic. c. 3. text. 30. hoc axioma tradit, *Plures Caussas totales, & ejusdem ordinis, nullus effectus habere potest.* Ubi de Efficiente duntaxat loquuntur. Possunt autem unius & ejusdem effecti partiales, aut totales in diversis Caussæ generibus, aut in eodem genere, tanquam Caussæ subordinatæ: aut si sumatur Caussa per accidens cum Caussâ per se.

Ex. Refutandi Efficiens.

Virtutes morales non à naturâ in nobis generantur. Quoniam eas assuetudine, hoc est frequentatis actibus acquirimus. Tale est argumentum Aristotelis 2. Ethic. Nicom. c. 1. Et simili argumento idem Philosophus alibi probat, *habitus intellectuales non esse à naturâ.*

Idem Philosophus probat, *Ideas non esse Caussam generationis rerum. Quoniam in nonnullis aliud quid esse Caussam spectamus: medicus enim in corpore sanitatem efficit; & scientiam, sciens* &c. 2. de Generat. & Corr. cap. 10. text. 52. contra Socratem in Phædone Platonis. Et ejusmodi rationibus sæpe utitur Aristoteles.

Ex. refutandi Instrum.

Non fatigatione, nec senio (quod plurimi credunt) sed nostrâ sc. inertiâ, minùs benignè nobis arva respondent: Licet enim majorem fructum percipere si frequenti, & tempestivâ, & modicâ stercoratione terra refoveatur. Colûmel. lib. cap. 2.

Aer

Aër motu non exedit. Exesionis enim instrumentum neutiquam motus est, sed humida qualitas, quâ solvuntur corpora. Quare sine aëris etiam motu, partes à partibus absistunt, primùm subeunte humido peregrino, mox etiam abscedunt suâ gravitate, atque dilabuntur. Scaliger Exercitat. 31. adversùs suprà-dictam Cardani sententiam.

Ex. refutandi finem.

Hominis finis non est voluptas sensualis. Ut quidam putârunt. Ejus enim finis est virtutis operatio: ea namque est propria hominis operatio.

Ethicæ finis non est cognoscere & contemplari virtutem. Est enim finis, agere ex virtute: seu bene beatéque vivere.

Ex. refutandi Materiam.

Pullus in Ovo non fit ex luteo. Nam fit ex albumine. Quod manifestò deprehenditur, in anatum Indicarum ovis: quæ si ad Solem despicias, deprehendes in summo fastigio eandem nigredinem quæ est in earum rostris.

Ex. refellendi Formam.

Figura humani corporis non est hominis Caussa formalis. Nam anima rationalis est ejus forma essentialis: hæc enim homini tribuit essentiam hominis.

II.

Ab enumeratione Caussarum generalium, aut specialium, ubi dantur plures ejusmodi effecti; & à confutatione cæterarum in Caussâ propositâ, præter unam reliquam:

Can.

Can. Confirm.

Ubi plures dantur veræ caussæ alicujus effecti, eis enumeratis; & probato nullam cæterarum præter unam reliquam, esse caussam propositi effecti, reliqua concludenda erit esse ejus caussa, in eâdem specie caussæ.

In hujusmodi tamen argumentatione, illa enumeratio plenè concipi debet: alioqui non potest concludere necessariò: attamen non semper plenè exprimitur; sed plerumque animo reticetur, & subintelligitur in Majore propositione syllogismi.

Ex. confirmandi Efficientem.

Virtutes morales, aut à naturâ generantur, aut à frequentibus moderatis actionibus moralibus. Atqui non à naturâ: quia nihil naturale potest aliter assuescere. E. à moralibus actionibus generantur.

Thomas lib. 2. contra gentes probat, *Quòd animæ rationales producantur per creationem. Quia omnis substantia quæ producitur, aut generatur per se, aut per accidens: sed animæ rationales non generantur per se, neque per accidens. Quod utrumque ibidem confirmat. Reliquum est ergo, ut creatione producantur.*

Ejusmodi est hoc argumentum, quo nonnulli philosophi utuntur: *In insulis à Continente disjunctissimis, visuntur complura animalia perfecta. Quæ tamen neque ab iis quæ in primævâ rerum generatione genita sunt, propagari potuerunt: cùm omnia, paucis exceptis, Diluvio interierint: neque natando eò pervenisse putanda sunt, ob latissimam maris intercapedinem; nec navibus eò fuisse invecta; cùm eorum multa efferata sint; ut, Leones, Lupi, Pantheræ. Reliquum est igitur, ut cælesti vi producta fuerint.*

erint. Apud Colleg. Conimbric. in 2. lib. de Cœlo c. 3. q. 6. art. 1. arg. 1.

Ex. confirmandi caussam instrumentalem.

Nullâ aliâ re videmus populum Romanum sibi Orbem subegisse terrarum, nisi armorum exercitio, & disciplinâ castrorum, usúque militiæ. Quid enim adversus Gallorum multitudinem paucitas Romana valuisset? Quid adversus Germanorum proceritatem, brevitas potuisset audere? Hispanos quidem non tantùm numero, sed etiam viribus corporis, nostris præstitisse, manifestum est. Afrorum dolis, atque divitiis, semper impares fuimus. Græcorum artibus, prudentiâque nos vinci, nemo unquam dubitavit. Sed adversus omnia profuit, tyronem solertem eligere; jus (ut ita dixerim) armorum docere; disciplinam quotidiano exercitio roborare; quæcunque evenire in acie, atque præliis possent, omnia in campestri meditatione prænoscere; severè in desides vindicare. Vegetius lib. 1. de re militari cap. 1.

Multa à Cœlo in hisce inferioribus perficiuntur: quæ non possunt fieri luce, aut motu: ut aurum, cæteráque metalla in terræ gremio: quò neque motus, neque lux pertingit. Igitur ea efficit aliâ occultâ vi, quæ influentia vocatur. Hoc argumento utitur Colleg. Conimbric. ad 2. de Cœlo c. 3. q. 3. art. 2. Iterum eodem cap. q. 1. art. 2.

Simili ratione utuntur aliqui, & inter eos Albumasar 2. lib majoris introduction. ad Astron. *ad probandum Lunam efficere æstum marinum, per occultam qualitatem, quam influentiam vocant.*

Ex. confirmandi Finem.

Leguntur historiæ, aut delectationis, aut utilitatis gratiâ. Sed plerique eas legunt, non propter utilitatem. E. propter voluptatem duntaxat.

Ægyptiæ Pyramides constructæ sunt, aut propter utilitatem, aut propter gloriam. Sed ad nullam utilitatem, cùm inutiles sint. E. gloriæ seu ornamenti caussâ.

Simili

Simili ratione utitur Scaliger Exercitat. 216. ſ. 2. *Ursos formicis veſci, ad medicinam: quia non ad cibum.*

Ex. Confirmandi materiam.

Hic nummus flavus eſt: proinde conſtat ex auro, aut ære. Non autem ex auro: ut ex lapide Lydio dignoſcitur. E. ex ære.

Materia ex quâ ſorices in navibus generantur, aut eſt ſemen aliorum ſoricum, aut putris materia. Atqui ſorices in navibus non generantur ex ſemine aliorum: quandoquidem alii non affuerunt. E. ex putri materiâ.

III.

A cauſſâ cauſſæ effecti: *An propoſita cauſſa ſit cauſſa cauſſæ effecti propoſiti.*

Can. Confirm.

Cauſſa cauſſæ in unoquoque genere cauſſarum, eſt etiam cauſſa cauſſati in eodem genere.

Si modò fint cauſſæ per ſe, non per accidens, & contingenter ſubordinatæ. Itaque Deus non eſt cauſſa peccati, etiamſi ſit cauſſa voluntatis humanæ: voluntas enim peccati cauſſa eſt, non per ſe, & ſuâ naturâ, ſed quatenus ei acceſſit defectus & pravitas: ſicuti natura equi non eſt cauſſa claudicationis equi, etiamſi ſit cauſſa motus ipſius. Canon hujuſmodi traditus eſt à multis tanquam ſpecialis Canon cauſſæ efficientis: at verò latiùs patet, nec ſolùm in efficientibus, ſed etiam in aliis cauſſis ſubordinatis, reperitur: ut manifeſtum eſt in Fine, & Materiâ: nam finis finis eſt etiam finis Medii: & materia materiæ, eſt quoque materia materiati. Quare placuit hunc Canonem inter generales connumerare.

Ex. Confirm. Efficientem.

Moderatæ actiones morales ſunt cauſſæ virtutis: virtus

est caussa felicitatis. E. moderatæ actiones morales sunt caussa felicitatis.

Salubris diæta in cibo, & potu, & exercitiis, caussa sunt boni temperamenti corporis : & hoc ad virtutem animi confert. E. etiam salubris diæta ad virtutem animi conducit. Hoc argumentum exstat apud Galen. lib. quod mor. animi seq. temper. corp.

Hujusmodi est illa faceta argumentatio Themistoclis : Athenienses imperant Græcis ; Themistocles imperat Atheniensibus : Themistocli, uxor ; & matri, filius. E. filius Themistoclis imperat Græcis. Apud Plutarch. in Themistocle.

Ex. Confirm. Instrument.

Nervi sunt instrumentum movendi musculos ; & musculi, motionis animalis. E. nervi sunt instrumentum motionis animalis.

Ex. confirmandi Finem.

Mundus conditus est propter hominem ; & homo propter Dei gloriam. E. & mundus.

Sexus masculini, & fœminini finis est, generatio animalium ejusdem speciei ; & generationis finis est conservatio speciei. E. uterque sexus conditus est ad speciem conservandam.

Historia conscripta est ut rerum memorabilium memoria conservetur ; conservatur, ut prudentia hauriatur ab exemplis rerum prudenter, aut imprudenter gestarum. Quare historia condita est ad prudentiam comparandam.

Ex. Confirm. Materiam.

Corpus humanum est materia hominis ; & elementa sunt materia corporis humani. E. elementa sunt etiam materia hominis.

Cæterùm, in caussâ formali, non datur forma formæ.

IV.

A caussâ effecti effecti. *Et, An hæc*

non

non sit caussa effecti hujus effecti.

Can. Refut.

Caussa effecti est etiam caussa effecti effecti.

In quovis genere caussæ.

Vel, negativè: *Quod non est caussa effecti alicujus rei, non est caussa illius rei.*

Ex. refellendi Efficient.

Caussa virtutis est etiam caussa felicitatis; quia hæc est effectus virtutis. At natura non est caussa felicitatis. E. neque virtutis.

Caussa æstus marini tribuitur à Lydiato cap. 8. disquis. physiolog. *ignibus submarinis maris fundum vehementer excalfacientibus. At enimvero si mare calefacerent, etiam rarefacerent; si mare rarefieret, naves tempore affluxus, altiùs subsiderent; quod non est verum. Igitur æstus marinus non provenit ab ignibus submarinis.*

Ex. refellendi Instrument.

Non est instrumentum calefactionis. E. neque rarefactionis.

Ex. refutandi Finem.

Voluptas non est finis contemplationis. E. non est finis scientiæ.

Ex. refutandi Materiam.

Galaxia non constat ex elementis. E. neque ex halitibus.

In Formâ non valet Canon.

Hactenus de Examine Caussarum, ex Locis generalibus, seu Caussæ in genere, dictum est.



Cap. II.

DE RATIONE ac modo examinandi Caussam Efficientem.

Sectio I.

DE LOCIS SPECIALIBUS ab Affectionibus Efficientis.

Artic. I. De ejus Locis Affectionum, seu Conditionum specialium prærequisitarum ad efficiendum.

EXpositâ jam antè generali Caussarum Examinatione, nunc ad speciale earum Examen descendendum est: ac primò Efficientis.

Quoniam autem hæc caussa (κατ' ἐξοχὴν) *ob excellentiam, plerumque absolutè vocatur Caussa; iccirco in ejus Examine, præsertim in Exemplis, eam appellationem persæpe absolutè usurpabimus pro Efficiente.*

Locos

Locos autem speciales in singularum causarum Examine, initio in synopsi ac tabulâ, ob oculos summatim proponemus, memoriæ juvandæ, ac promptioris usus gratiâ.

LOCI A SPECIALIBUS Affectionibus Efficientis, sunt

I. A specialibus ejus Conditionibus prærequisitis ad efficiendum: ut,

I. *Ab eâdem qualitate, vel similitudine cum suo effectu.* 2 *Ab eâdem qualitate intensiore.* 3 *A virtute sufficiente.* 4 *A nobilitate præ effectu æquivoco.* 5 *A contactu cum patiente.* 6 *A principio, unde oritur actio.*

II. A specialibus affectionibus Efficientis, non necessariò prærequisitis ad agendum: ut, 1 *Ab agentis non contactu cum patiente, & non actione.* 2 *Ab agentis contactu, & actione.* 3 *A remotione efficientis à contactu, & cessatione actionis.* 4 *A non positione agentis, & non actione.* 5 *A positione agentis cum patiente, & actionis.* 6 *A sublatione agentis, & cessatione actionis.* 7 *Ab effectione*

fectione ejusdem, & non contraria actionis. 8 *A proportione distantiæ agentis, & patientis, & actionis intensioris*, aut *remissioris.* 9 *Ab unitate & dispersione agentis.* 10 *A repassione agentis.*

III. Denique, sunt Loci compositi ab affectionibus compositis è duabus Efficientis: ut,

§. 1. A contactu, & aliâ.

1 *A non contactu, & contactu cum patiente.* 2 *A contactu cum patiente, & similitudine cum effectu.* 3 *A contactu cum patiente, & remotione ab eodem.*

§. 2. A positione.

1 *A non positione, & positione cum patiente.* 2 *A positione seu præsentiâ cum patiente, & sublatione.*

LOCI A COGNATIS Efficientis: vel, à cognatis efficientibus.

I. A superioribus efficientis: ut, 1 *A Genere.* 2 *A specie ad singulare.*

II. Ab Inferioribus: ut, 1 *A Specie ad Genus.* 2 *A singulari ad speciem.*

III. Ab oppositis efficientis.

IV. A

IV. A Comparatis.

§. I. In Quantitate: ut,

1 *A Majori.* 2 *A Minori.* 3 *A Pari.*

§. 2. In Qualitate.

1 *A Simili.*

§. 3. In probabilitate.

1 *A magis probabili, vel verisimili.* 2 *A minùs probabili.* 3 *Ab æquè verisimili.*

V. A cognatis compositis: ut, 1 *Ab utroque Contrario posito.* 2 *A Majori, & Minori.*

Locus I.

Si igitur examinare volumus quamlibet Caussam Efficientem propositam, ut dijudicemus, utrùm ea vera sit propositi effectus Caussa efficiens, nécne; post generale Examen, ex Locis ac Canonibus generalibus, i. e. Caussæ in genere, suprà traditis, (qui in omni Caussâ (ut antè dictum) primò adhibendi sunt) accedendum est ad speciale Examen Efficientis. Inter cujus Locos, primò considerandus est Locus à Qualitate, vel à similitudine

Efficientis, & Effectus. *Et, Examinandum est propositum efficiens, an non sit tale, qualis effectus propositus.*

Can. Refut.

Qualis caussa, talis effectus.

Quod axioma variè effertur apud Aristotelem: ut 7. Meteor. context. 2. *Omne quod generatur à sibi simili generatur.* Et 1. de Generat. & Corr. c. 7. *In universum, agens assimilat sibi patiens.* Et 1. de Ortu, & Inter. c. 7. t. 51. *Omne agens ideo agit, ut in effectu sui similitudinem exprimat.* Idémque alii aliter proferunt: ut, *Caussa & effectus sunt similes.* Et, *Omne agens agit sibi simile.* Apud Thomam 1. part. q. 110. art. 2. corp. Et, *Omne procreans, procreat sibi simile.* Apud eundem 1. part. q 115. art. 2. cor. Item, *Assimilatur caussæ effectio, opus artifici*: ait Scaliger Exercitat. 307. Et, *Nihil dat quod non habet.* Et, *Quicquid est in effectu, præexistit in caussâ.* Quæ omnia axiomata intelligenda sunt cum nonnullis limitationibus, ut semper vera sint, & necessariò valeant argumenta inde sumpta. Valent autem in caussis per se, non per accidens: & secundùm qualitatem illam per quam efficiens producit effectum. Nihil autem interest, sitne agens in se, sive formaliter tale; an virtualiter seu eminenter duntaxat: quemadmodum Sol calefacit, qui tamen non est (secundùm Peripateticos) in se calidus; sed eminenter ac virtualiter tantùm. Nonnulli addunt valere axiomata in caussis naturalibus, iísque potissimùm particularibus, ac determinatis. Aliæ etiam limitationes tradi solent; sed inutiles, ad examinandas caussas. Quas proinde tanquam à nostro præsenti instituto alienas, prætermittimus.

Ex. Refut.

Ex. Refut.

Deus est optimus. E. *Deus non est caussa mali.* Contra Stoicorum dogma.

Mundus perfectissimus est, & partes ipsius omnes admirabili ordine dispositæ. Non igitur Mundus à casu, qui temerarius est & inordinatus, conditus fuit. Uti Democritus existimavit.

Mores mutantur consuetudine. At natura consuetudine non mutatur. E. *natura non est caussa morum.* Idem argumentum legitur apud Aristot. 1. magn. moral. c. 7.

Absurdissimum dictu est, ab aere aquam cogi. Cùm ipsum aerem nusquam videamus concrescere. Plutarch. lib. de primo frigid.

Num quis nostrûm crederet, aut Lunam, aut quidquam siderum rapi ventis, aut turbine rotari? Non, ut puto. Quare? quia non est illis perturbatus, aut impotens cursus. Ad Cometas idem transferamus. Non confusè, nec tumultuosè eunt; ut aliquis credat illos caussis turbulentis, & inconstantibus pelli. Est argumentum, & verba Senecæ contra Epigenem lib. 7. nat. quæst. cap. 8.

Spiritus sive flatus in mari, non est caussa scaturiginis fontium in summis montibus: ut affirmat Plinius lib. 2. cap. 65. *Flatus enim non certo naturæ ordine in mari excitantur; sed more tempestatum, aliàs, crebriùs; aliàs, rariùs. At fontes maximè stato naturæ ordine prodeunt.*

Nimis multa hîc exempla accumulavimus: verùm in reliquis Canonibus, ferè paucioribus contenti erimus.

Can. Confirm.

Nonnunquam à similitudine caussæ, & effectus probatur caussa: sed plerumque probabiliter tantùm.

Ut, *Felicitas est optima rerum humanarum.* E. *proficiscitur ab optimâ caussâ, quæ nihil est aliud, quàm Deus.*

Hoc

Hoc argumentum certum est, quia datur nonnisi unum simile huic effectui.

Nonnulli philosophi, ac Medici probant matres etiam esse caussam efficientem suorum natorum. Quoniam aliqui referunt matrem, & nonnunquam magis quàm patrem. Consulat qui volet Galen. lib. 1. de semine. & Fernel. lib. 6. Physiolog. cap. 7. alióśque.

Sic nonnunquam conjicimus nati patrem, aut matrem, ex similitudine cum parente. Unde facetè ratiocinatur quidam apud Comicum in Heauton. Act. Scen. 3. *Quòd est consimilis moribus, facilè convinces ex te natum: Nam illi nihil vitii relictum est quin id itidem insit tibi.*

II.

Ab intensiore qualitate caussæ, quàm effectus. *Num hæc res non sit magis talis quàm effectus.*

Can. Refut.

Quod efficit tale, est magis tale.

Sive, *Propter quod aliquod tale est, id est magis tale.* Quod docet Arist. 1. Poster. c. 2. text. 16. ubi ait, Ἀεὶ δι᾽ ὃ ὑπάρχει ἕκαστον, ἐκεῖνο μᾶλλον ὑπάρχει. Quod axioma verum est, si adsint duæ conditiones: sc. ut affectio illa utrique insit; atque ut recipiat intensionem, ac remissionem, seu magis ac minùs. Propter defectum prioris conditionis, non sequitur, *Homo inebriatur propter vinum. E. vinum est magis ebrium.* Quoniam hæc qualitas, ebrietas, non inest utrique, i. e. homini, & vino. Ob defectum posterioris, non valet, *Filius est homo propter patrem. E. pater est magis homo.* Quia homo non recipit magis, ac minùs. Atque illas duas conditiones, præter alios, tradit Zabarella, & Pacius ad 2. Poster. cap. 2. text. 16.

Cæterum axioma suprà traditum, *Propter quod, &c.* etiam ad Finem applicari solet: veluti *ægrotus expetit medicamenta propter sanitatem. E. sanitatem magis expetit.* De quo quoque vera sunt axiomatis verba, sed alio sensu, quàm de Efficiente. Sic igitur non est Canon præsentis Loci, nec Caussæ.

Ex. Refut.

Hoc est parum calidum. E. non est caussa hujus effectus, qui eo calidior est.

Si Salpetræ in ignem conjectus, propter terram strepit, terra magis strepet. At non strepit. Non igitur propter terram strepit. Scaliger Exercitat. 24. sic contra Cardani opinionem disputat. *Si Magnes attrahit ferrum, propter ferrum quod inest in Magnete,* (ut Avicenna, aliique volunt) *utique ferrum magis attrahet ferrum. Atqui ferrum non æquè attrahit ferrum ac Magnes. Quare Magnes non trahit ferrum per ferrum.*

III.

A virtute sufficiente. *Num hæc res non habeat vim sufficientem ad hunc effectum præstandum.*

Can. Refut.

Nihil agit ultra suas vires.

Cui concordat Canon effecti, *Nullus effectus excedit virtutem suæ caussæ.* Non enim satis est virtutem inesse caussæ, quâ talem effectum producat; sed etiam tantam, quæ sufficiat ad tantum.

Ex. Refut.

Unde petito argumento disserit Nisus 9. Æneid. *Eurialum non fuisse autorem factæ cædis: quia*

——— nihil iste nec ausus,

Nec potuit.

Angeli sunt finitæ virtutis: at creare aliquid est virtutis infinitæ. Non ergo anima humana creatur ab *Angelis.*

Angelis. Quod credidit Avicenna, aliique.

IV.

A dignitate præ effectu æquivoco.

Estne hæc res indignior hoc effectu æquivoco?

Can. Refut.

Nulla caussa efficiens est ignobilior suo effectu æquivoco.

Vel, *Nullum ignobilius est caussa nobilioris.* Nisi sit caussa instrumentalis. *Omnis enim caussa efficiens, principalis, vel majorem habet perfectionem, quàm sum effectus; vel saltem æqualem.* Majorem quidem, si sit agens æquivocum, æqualem habet, quoad attributa essentialia. Nec solùm efficiens principale, i.e. quod utitur instrumento, sed etiam solitarium, h.e. quod agit sine instrumento, nobilius est effectu: ut Deus, & anima, quum agunt aliquid sine instrumento. Intelligitur Canon de Agente totali, non partiali. Ratio Canonis est, quia caussa non potest effectui dare majorem perfectionem, quàm in se habet, aut formaliter, aut saltem eminentiori modo.

Ex. Refut.

Felicitas est res optima, & præstantissima. Non igitur illa provenit à fortunâ. Saltem tanquam à caussâ principali.

Anima rationalis antecellit universo generi corporeæ naturæ. Cùm sit substantia spiritualis. *Quare à nullo agente aut virtute corporeâ, aut vi seminis producitur, aut propagatur.*

Cùm metalla sint mista, proindéque excellentioris naturæ, quàm elementa, è quibus efformantur, nequeunt metalla ab elementis, ut à principe caussâ effici. Colleg. Conimbric. in Meteor. tract. 3 c. 2.

V. A

V.

A contactu cum patiente. *Num hoc attingit hoc patiens, dum fit actio.*

Can. Refut.

Inter agens & patiens debet esse contactus.

Hic Canon, ut permagni usus est, ita variè efferri solet.

Ut, *Quicquid agit, agit per contactum.* Et, *Agens debet esse simul cum patiente, in quod agit per actionem transeuntem:* i.e. quando agit in aliud, non in seipsum, quum enim res aliqua agit per actionem immanentem, i.e. in seipsam: aut secundùm eandem partem, aut per unam partem in aliam; palam est, tunc eam non agere per contactum. Axioma suprà dictum effertur etiam negativè: ut, *Nihil agit in distans.* i.e. distans ultra contactum, vel virtutem agentis. De agente per actionem transeuntem loquuntur axiomata suprà dicta: & Philosophus 1. de Generat. & Corrup. cap. 6. text. 43. ubi ait. *Neque agere, & pati, ea possunt propriè, quæ se mutuò tangere nequeant.* Cæterùm, contactus requisitus ad agendum, non semper est corporeus, seu quantitativus; sed sæpe solùm virtualis: quando sc. agens virtutem suam spargit per medium; & per eandem virtutem, tanquam per instrumentum, attingit rem distantem, in quam agit: quo pacto Sol, & reliqua astra agunt in hæc inferiora; & magnes in ferrum, aliáque in alia. Nec solùm corporea agentia, sed etiam spiritualia, & corporis expertia debent proportionali modo propinqua esse, secundum præsentiam, & attingere patiens tactu virtutis suæ. Quapropter Thomas generaliter ait, substantiam Angeli debere conjungi rebus quas movet:

movet: nec dixit, *corporibus*, sed *rebus*, ut indicaret doctrinam esse generalem. Canon confirmatur, quia inter conditiones ad agendum necessarias, una est, ut agens, & patiens sint intra sphæram activitatis agentis. Siquidem omnia agentia finita ac creata, virtutem certis limitibus sortiuntur; ultra quam agere nequeant: alioquin omne agens in rem quantumcunque distantem ageret: quod experientiæ adversatur. Atque hæc præcipua ratio videtur, cur natura tantopere horreat vacuum; ut nimirum agentia attingat patientia; & suas virtutes, & actiones in ea exerceant; quæ, interjecto vacuo, fieri nequeant. Quam ob caussam sublunaris Mundus cœlesti necessariò contiguus est; ut inde vis ejus recipiatur: docente philosopho 1.Meteor. cap.3. text. 3. Quare id quod primò, & immediatè agit in aliud, immediatè ipsum tangit. De quo agente loquitur idem philosophus 7.Physic. c.2. t.9. ubi inquit, *Id unde principium motus* (h.e. agens) *simul est cum eo quod movetur: simul autem dico, quòd nihil est his interjectum: hoc enim commune est omni rei, quæ movetur, & quæ movet.* Quod ibidem longâ inductione probat. Itaq; nihil agit in distans nisi per intermedium; per quod illud quod dissitum est, tangit, & afficit; sicut ignis aërem; aër, corpus dissitum calefacit. Attamen dissentiunt nonnulli, negantes omne quod movet, aut agit, primò atque immediatè agere in proximum; asserentes nonnulla primò, & immediatè virtutem suam transmittere, & agere in rem distantem: veluti Magnetem, Echneidem, Basiliscum, Torpedinem, aliaque. Quâ de re orta est controversia, tractata ab Aristotele de motibus physicis, in 7.Physic. c.2. & inter alios recentiores, à Colleg.Conimbric. ad idem cap.quæst. 1. & à Francisco Suarez Metaph. Disput. 17.sect.8 Qui cum Aristotele tuentur, Agens semper primò & immediatè agere in id quod ei proximum

mum est. Utrobique tamen, agens semper agit per contactum, & quum agit in rem proximam, & quum in dissitam: id quod sine controversiâ est; & ad Canonis suprà dicti veritatem, satis. Itaque illius controversiæ disceptatio nihil confert ad præsentem usum examinandi Agens seu efficientem caussam. Quapropter eam dimittimus.

Ex. Refut.

Luna dum in altero hæmisphærio versatur, suo lumine, aut influentiâ non attingit mare in nostro hemisphærio, ob Terra corpus interjectum: tamen tunc etiam mare apud nos nihilosecius æstuat. Non ergo Luna caussa est æstus marini.

Si Sol & reliqua astra suâ virtute non penetrant terram, & pertingunt eousque ubi generantur metalla, ut multi asserunt, utique illa non sunt caussa eorum generationis. Ut quidam affirmant.

Stella polaris arctica non potest suâ virtute attingere acum nauticam ultra Æquinoctialem: quæ tamen eâdem cuspide semper respicit Septentriones, in utroque hemisphærio, cis & citra Æquatorem. Non igitur ea stella caussa est dirigendi acum nauticam ad Septentrionem. Ut Cardano placet lib. 7. de subtil.

Neque montes Septentrionales magnetum feraces, possunt esse caussa ejusdem rei, ob eandem rationem. Quod asserit Fracastorius lib. de sympath. & antipath. c. 7.

Conversio Cœli non est caussa quòd omnia gravia ad terram ferantur. Non enim conversio nobis propinqua est. Aristot. contra Empedoclem 2. de Cœlo cap. 3. context. 33.

Ais, Magnetem trahere per animam. Hoc delirio præluxit tibi Thales. *At anima trahere nequit, quod non tangit.* Adversus Cardanum sic disputat Scaliger Exercitat. 102. s. 1.

VI.

VI.

A principio unde oritur actio. *Estne hac res principium, unde hac actio oritur, annon?*

Can. Refut.

Agens est principium unde actio oritur.

Nimirum secundum executionem: finis autem est principium actionis, secundum intentionem: adeóque absolutè primum.

Ex. Refut.

Nili fluminis incrementum non incipit ab Oceano. Ut quidam veterum opinati sunt. *Non igitur Oceanus ejus caussa est.*

Etesiæ non sunt caussa quòd Nilus inundet Ægyptum. Nam Etesiæ littus Ægypti verberant; & contra illos Nilus descendit, inde venturus, unde illi, si origo ab illis esset. Seneca lib. 4. nat. quæst. cap. 2.

Philosophus 2. Meteor. c. 2. opinatur mare fluere, ac refluere propter angustias maris in quibusdam locis. *At verò fluxus non incipit à ripis, vel littoribus, sed in medio mari; unde fluit utrinque ad littora.*

Can. Confirm.

2 *Id à quo actio oritur, est ejus efficiens.*

Sic Aristoteles 2. Physic. c. 3. text. 9. definit Efficiens, *id unde mutationis, aut quietis primum est principium.*

Ex. Confirm.

Timor Domini est initium sapientiæ. E. illius caussa est.

Omnis cognitio intellectiva oritur à sensitivâ. Hæc igitur illius caussa est.

Pestis

Pestis nonnunquam oritur à putridis cadaveribus. Tunc igitur ista pestis caussa sunt.

Artic. II. Loci à specialibus efficientis affectionibus, non prærequisitis ad efficiendum.

I.

Ab efficientis non contactu cum patibili, & non actione in ipsum. *Quando illud non tangit hoc, num fit, vel non fit hæc actio, seu affectus in ipsum.*

Can. Ref. ac Confirm.

1 *Quando efficiens non tangit patibile, non agit in ipsum.* 2 *Quo non tangente quidpiam, non fit actio in ipsum, id est, aut videtur esse efficiens talis actionis.*

Ex. Refut. & Confirm.

Ut, Dum Luna versatur in altero hemisphærio, non tangit suâ virtute mare in nostro hemisphærio, tamen nostrum mare æstuat. Non ergo videtur esse efficiens æstus marini.

Si lumen non attingit & illustrat objectum visibile, hoc nunquam cerni potest. Quare lumen est aliquod efficiens visionis.

II.

Ab efficientis contactu cum patiente, & actione. *Utrùm hoc tangente, fiat actio, annon.*

Can.

Can. Refut.

1 *Activum dum tangit patibile necessariò in ipsum agit.*

Hic Canon concordat cum Aristotelis pronunciato cap. 3. de longit. & brevit. vitæ. *Quando activum, & patibile simul sunt, semper alterum agit, alterum patitur.* Quod ego axioma intelligo potissimùm de agente naturali, & totali; & quod ponitur actu, unà cum reliquis conditionibus necessariò requisitis ad agendum. Præcipuè autem requiruntur etiam sufficiens facultas seu virtus, & in nonnullis applicatio debita, & mora: sic enim positum agens naturale, & non impeditum, non potest non agere; sed agit quod potest, & quantum potest. Quin etiam agens voluntarium, si cum cæteris conditionibus adsit præterea voluntas agendi, tunc semper agit.

Ex. Refut.

Magnes allio perunctus, non amittit suas vires. E. allium illitum non impedit eas. Ut Ptolomæus, Plutarchus, aliíque prodidêre.

Stellæ interdiu non lucent. Idque non, ut dicunt, quia Solis radiis extinguuntur. Extinguerentur enim etiam noctu. Quandoquidem semper in ejus radiis sunt. Scaliger Exercitat. 62. ʃ. 1.

Can. Confirm.

2 *Quo tangente rem aliquam, ea necessariò afficitur, seu patitur, id est actionis efficiens.*

Dixi, *necessariò*, quia sæpenumero plura simul contingunt patiens, dum fit effectus; quæ tamen non sunt ejus caussa; atqui id solùm judicandum est esse ejus caussa, quo tangente, effectus necessariò, & semper fieri solet.

Ex. Confirm.

Ex. Confirm.

Sic probamus ac judicamus Solem esse caussam calefactionis. Quoniam ipso tangente nos suis radiis, necessariò incalescimus: itémq; dum tangit res alias. Contactu calidiorum, ut aëris, aquæ, balnei,&c. homines in calidos incidunt morbos: & frigidiorum, in frigidos. Unde ea judicantur causæ ejusmodi morborum. Atque innumerabilia occurrunt quotidiana hujusmodi argumenta: ut nihil opus sit plura afferre.

III.

A remotione efficientis à contactu, & cessatione actionis. *Num hoc remoto à passo, hæc actio cessat in ipsum fieri, annon?*

Can. Refut.

1 ***Efficiente remoto à passo, actio cessat in ipsum fieri.***

Vel, *Cessante caussâ, cessat effectus.* sc. *in fieri.* Dictum est in Canone, *actio,* quia cùm *duplex* sit effectus: alius, *actio,* sive *operatio* (Græcis ἐνέργεια:) alius, *opus* (ἔργον:) remoto efficiente, cessat effectus, qui est actio: at non opus, quod effectum fuit: ut, remoto architecto, cessat ædificatiò; non autem tollitur ædificium ab eo constructum: quia compositum permanere potest, quamdiu sua materia, ac forma simul constant. Similiter, quando agens aliquod in patiens impressit aliquam affectionem, seu passionem; illa manere potest, efficiente ejus remoto: veluti, quando sol fervidus genuit calorem, aut febrem in corpore accendit, idem calor, aut febris aliquamdiu manet, Sole jam remoto.

Ex. Ref.

Ex. Refut.

Hoc humore expurgato, non tollitur hic morbus. E. non est ejus causa.

Mare nostrum non cessat æstuare, etiam quum Luna remota est, & in altero hemisphærio versatur. Non ergo Luna caussa est æstus marini.

Asserunt quidam, & inter eos Scaliger Exercitat. 79. l. 1. *Nubes à Sole in aëre suspendi. Quod non est admittendum. Etenim noctu, quando Sol remotus est, non suspenderentur; sed universa deciderent in terram: at non decidunt. E. Sol non est caussa earum suspensionis.*

Can. Confirm.

2 *Quo remoto à passo, actio cessat fieri, id fuit ejus efficiens.*

Ex. Confirm.

Hoc humore evacuato, tollitur hic morbus. E. hic humor ejus caussa fuit.

Ventus aërem à putredine tuetur. Si enim aliquamdiu à ventis quiescat, putrescit, & insalubris evadit.

IV.

A non positione agentis cum patiente, & non actione. *Num hoc non posito cum patiente, fiat hæc actio, ánnon.*

Can. Refut.

1 *Efficiens non positum cum patibili, non agit.*

Vel sine quo aliquid fit, id non est hujus efficiens. Quia necessariò requiritur, ut activum ponatur simul cum patibili. Quæ conditio tradita est suprà, Artic. 1. Loco 6.

Ex. Ref.

Ex. Refut.

Generatio non provenit ab animâ sensitivâ, neque à rationali.

Nam planta generat sine sensitivâ ; & equus sine rationali.

Non sola mens motionis caussa est. Alioqui soli homines loco moverentur : cùm tamen aliæ etiam animantes ratione destitutæ, loco moveantur. Aristot. 3. de Anima cap. 10. text. 48.

Quod ait Vives : lætitiam esse motum animi ex judicio instantis jam boni : non est admittendum. Quia sine judicio, sinéque ratiocinatione, haud rarò lætamur. Scaliger Exercitat. 317. s. 1.

Sine ludicris artibus, atque sine caussidicis, satis felices fuerunt, atque futuræ sunt urbes. Columel. præfat. ubi conclusionem innuit.

Ex eodem Can. refelluntur Caussæ Instrumentales sequentes.

Si caro tactus organum esset, sequeretur eas partes, quæ carne destituuntur, (ut sunt dentes, ventriculus, membranæ) non sentire. Atqui hæ partes sentiunt. E. caro non est instrumentum tactus. Sic Medici argumentantur contra Philosophum.

Dicitur à quibusdam tum Sol, tum alia sidera motu calefacere. Mihi contrà videtur : Solem si non moveatur, magis calefacturum. Quod manifestius est ex radiorum fixione in rem stabilem, quàm si moveatur. Etenim cavum speculum si moveatur, non concipit ignem. Nihil autem differt résne calefaciens, an calefacienda moveatur, ad hoc probandum. Scaliger Exercitat. 79. sect. 2.

Can. Confirm.

2 *Sine quo posito cum aliquo, actio non potest fieri in ipsum, probabile est, id esse actionis efficiens.*

Canon

Canon probabilis est, non necessarius: non enim omne rei causa est, sine quo posito, res fieri nequeat. Ut testatur Cicero lib. de Fato, ubi ait, *Non id sine quo quippiam non fit, causa est.* i. e. necessariò, & semper. *Sed id quod cùm accessit, id, cujus causa est, efficit necessariò.* Idémque scribit Seneca Epist. 65. inquiens, *Si quocunque remoto* (i.e. non posito) *quid effici non potest, id causam judicant faciendi; ponant inter causas, tempus; nihil sine tempore potest fieri: ponant locum; si non fuerit, ubi fiat aliquid, ne fiet quidem: ponant motum; nihil sine hoc, nec fit, nec perit: nulla sine motu, ars, nulla mutatio est.* Attamen utilis est Canon nonnullis exceptis: & ex eo auctores haud rarò confirmant causas: atq; etiam ipse Cicero, & Seneca: us ex eorum argumentis subjiciendis constabit. Quapropter hunc Canonem non prætermittendum censui. Excipienda verò mihi videntur præter ea quæ Seneca suprà objicit, etiam aliæ causæ, ut finis, & in compositis, materia, & forma: quæ causæ non sunt efficientes: nec non causæ impulsivæ, ut proëgumena, & procatarctica; quæ non sunt efficientes propriè dictæ; sed impellentes ad efficiendum.

Ex. Confirm.

Non est peccatum in voluntate, nisi sit error in intellectu. E. Voluntatis peccata oriuntur ab erroribus intellectus.

Sine virtute nemo potest esse beatus. Igitur virtus causa est felicitatis.

Principium amandi, est ea quæ in aspectu posita est voluptas. Non antè enim delectatus formâ, nemo amat. Aristot. 9. Ethic. Nicom. cap. 5.

Sic Agrippa argumentatur Deum conservare Imperium Romanum: *Divinum auxilium,* inquit, *est apud Romanos. Sine Deo quippe impossibile esset, imperium tale consistere.* Apud Josephum, lib. 2. cap. 16.

Agricola

Agricolæ & agricultura causa sunt alendi mortales. Etenim sine agricultoribus, nec consistere mortales, nec ali posse, manifestum est. Ex Columel. in præfat.

Iridis causam in humore esse, non dubitaveris. Non fit enim unquã arcus, nisi nubilo. Seneca 1. nat. quæst. cap. 3. Idémque rursus eod. cap. similiter ratiocinatur. *Apparet duas causas esse arcus cælestis, Solem, nubémque. Quia nec sereno unquam fit, neque ita nubilo, ut Sol lateat.*

Simili ratione Aristoteles, *probat appetitum esse id quod movet animal.* 3. de Anima. c. 11. text. 50.

Fundamentum perpetuæ commendationis, & famæ, est justitia: sine quâ, nihil potest esse laudabile. Cic. 2. de Offic.

Virtus amicitiam gignit, ac continet: nec enim sine virtute amicitia esse ullo pacto potest. Cic. in Lælio.

Qui non probat, non novit. E. probatio est causa sciendi. Unde prudens Italorum proverbium: *Chi non fà, non sà.*

Plura exempla hic accumulavi, ne hîc Canon cum tot exceptionibus inutilis, & supervacuus videatur.

IV.

A positione agentis cum patiente, & actionis. *An hoc posito cum hoc patiente, hæc actio necessariò fiat, an aliquando non?*

Can. Refut.

1 *Efficiens cum patiente positum, agit in ipsum.*

2 Vel, negativè: *Quo posito cum aliquo, non fit actio*

in ipsum, id non est talis actionis efficiens. Canon intelligendus est cum ejusmodi conditionibus, quibus prior, à contactu.

Ex. Refut.

Multi divites non sunt felices: ut Crœsus, aliique. E. divitiæ non sunt caussa felicitatis.

Multa sunt animalia, quæ sensum quidem habent, sed stabilia sunt, & immobilia perpetuò. Quare sensus non est caussa progressionis animalium. Philosophus 3. de Anima c.10. text.6. vel aliàs 145.

Sic idem philosophus probat, *Concursum, vel comparitionem planetarum, vel inter se, vel cum stellis fixis, non esse caussam Cometæ.* 2.Meteor.cap.6.text.13. contra Anaxagoram, & Democritum. Itémq; disputat, *Ideas non esse caussam generationis rerum.* 2. de Generat. & Corrupt. cap. 9. adversus Socratem in Phædone Platonis.

Succinum non calore allicit festucam. Utpote calefactum ab igne, & admotum festucis, non attrahit; sive caleat, aut ferveat, sive ad flammam usque urgeatur. Gilbertus lib.1.de Magnet.cap.1.

Can. Confirm.

2 *Quo posito cum aliquo, hoc necessariò patitur, illud est actionis illius efficiens.*

Præsertim si nihil aliud quod simul ponitur, possit esse actionis efficiens. Eundem Canonem tradit Cicero lib de Fato, fol.mihi 147.p.b. ubi ait, *Id caussa est, quod cùm accessit, id, cujus caussa est, efficit necessariò.*

Ex. Confirm.

Vitiosi semper miserè vivunt. E. vitium caussa est miseræ vitæ.

Beata sunt regna, aiebat Plato, *quando aut philosophi regnant,*

regnant, aut reges philosophantur. Tunc igitur philosophia caussa est efficiendi regna beata.

Quoties Luna interjecta est inter Solem & Terram, necessariò accidit eclipsis solaris. E. Luna sic interposita ejus caussa est.

Pulchrè à veteribus dicitur, illis, qui caussam cur diutiùs vivatur, fellis vacuitatem esse dicunt: argumento ex solipedum, cervorúmque genere ducto: hæc enim & felle vacant, & diu vivunt. Quinetiam ea quæ illi non viderunt felle carere, ut delphinus, ut camelus, longæva sunt. Aristot. 4. de part. animal. cap. 2.

VI.

A sublatione agentis, & cessatione actionis. *Hoc sublato, cessátne hæc actio fieri, ánnon?*

Can. Refut.

1 *Efficiente sublato, actio ejus cessat fieri.*

Per sublationem hîc non intelligimus remotionem à contactu cum passo, ut in priore Loco à contactu; sed rei interitum, seu abolitionem.

Ex. Refut.

Aliqui amissis opibus, tamen feliciter vixerunt, & vivunt. E. divitiæ non sunt caussa felicitatis.

Fulgur non accenditur à radiis solaribus. Quia noctu, quando illi auferuntur, fiunt, & apparent fulgura. Sic Aristot. disserit adversus Empedoclem 2. Meteor. c. 8.

Ex eod. Can. Efficientis refellitur Instrumentum: ut,

Detracta cute, tamen non tollitur sensus tactus. Itaque cutis non est organum tactus. Ut quibusdam videtur.

In interlunio, quum Luna in parte obversâ terris, lumine destituitur, vehementes tamen æstus marini attolluntur.

tur. Non igitur Lunæ lumine, ceu instrumento æstus concitantur. Ut aliquibus videtur.

In nonnullis sacrificiis animantia cernebantur, corde jam aris imposito, non respirare tantùm, aut clamare fortiter; sed etiam fugere, quousque profusione sanguinis commoriantur. Galen. l. 2. de Hippoc. & Platon. placitis.

Can. Confirm.

2 ***Quo sublato à passo, actio simul necessariò cessat fieri, id fuit ejus efficiens.***

Ex. Confirm.

Calore innato extincto in animali, vita simul ac necessariò in eodem extinguitur. E. vita consistit in calore innato.

Disciplina majorum, remp. tenet. Quæ si dilabatur, & nomen Romanum, ac Imperium amittemus. Differit Imperator Alexander Severus apud Lampridium.

Benevolentia est amicitiæ fons, à naturâ constitutus: quâ sublatâ, etiam amicitiæ nomen tollitur. Cicero in Lælio.

Otio sublato, cessat libido. Id ergo caussa libidinis fuit. Unde Ovid. 1. de Remed. canit,

Hæc ut ames, faciunt; hæc quæ fecêre tuentur:
Hæc sunt jucundi caussa cibúsque mali.
Otia si tollas, periere Cupidinis arcus;
Contemptæque jacent, & sine luce faces.

VII.

Ab effectione ejusdem, i.e. non contrariæ actionis. *Num hoc agat contrarium hujus actionis.*

Can. Refut.

Idem agens, quâ idem, eidem, semper agit idem.

Vel, *Idem, quâ idem, eidem, non est caussa contrarii.*

Axioma

Axioma utroque modo efformatur ab Ariſtotele : priore modo, 2. de Generat. & Corr. c. 10. text. 181. ubi ait, Τὸ δ' αὐτὸ, καὶ ὡσαύτως ἔχον, ἀεὶ τὸ αὐτὸ πέφυκε ποιεῖν. Altero, 4. Meteor. cap. 11. text. 4. Τὸ δ' αὐτὸ, πρὸς αὐτῷ, κατὰ ταυτὸ, οὐκ ἔστιν αἴτιον τοῦ ἐναντίου. Quæ axiomata intelliguntur de Agente per ſe, & præcipuè de agente naturali, quod ſemper agit eodem modo, & nunquam contrario : ſi eodem modo ſe habeat, tum internè, tum externè. Alioqui poteſt idem contraria efficere : vel quando agit in res diſſimiles : ut idem Sol generat, & corrumpit ; ceram liquefacit, & lutum indurat. Vel, ſi agat unum per ſe, alterum per accidens : ut gelu, per ſe refrigerat, & urit herbas per accidens : & frigus per ſe frigefacit, & tamen cùm ambit corpus noſtrum impenſiùs calefacit, & nonnunquam accendit febrim. Atque ita poteſt idem eſſe cauſſa contrariorum effectuum : docente philoſopho 2. de Generat. text. 56. ~~Attamen po~~-teſt per ſe agere diverſa, tametſi non contraria : veluti Sol, & ignis illuminant, & calefaciunt. Alij

Ex. Refut.

Studium & exercitatio mentis moderata ſanitatem juvat. Ut alicubi docet Galenus. *E. eam non lædit.* Uti quidam exiſtimant omne ſtudium valetudini nocere.

Aqua res denigrat. Non igitur nix ob aquam candida fit. Ut docet Bod. in l. 2. Theatri nat.

Quæcunque ſunt aquea, non concreſcunt ab igne. Solvuntur enim ab igne. Idem autem eidem, ſecundùm idem, non eſt cauſſa contrarii. Ariſt. 4. Meteor. cap. 11. text. 4.

Multi inopiâ fiunt deteriores. Non igitur egeſtatem, ad beatitudinem, vel inſtrumentum, vel viam, quiſquam facere audeat. Scaliger Exercitat. 250. ſ. 1.

Contracto calore, *aiebat Cardanus*, ſomnus prohibetur. *Nimis laxa ſententia* (inquit Scaliger Exercit. 311.) *Nam caloris contractio, & ſomni cauſſa eſt, ut*

docuit philosophus: & caussa concoctionis; ut docuit Hippocrates: ventres enim hyeme calidiores.

VIII.

1 A proportione distantiæ agentis, & patientis, & intensionis, aut remissionis actionis. *Utrùm hoc quando propinquiùs existit patienti, fortiùs agit, & longiùs, debiliùs.*

Can. Refut.

Agens quanto propinquius existit patienti, tantò fortiùs agit; & longiùs, remißiùs.

Vel breviùs, *Agens fortiùs agit in propinquium.* Intellige cæteris paribus. Alioquin agens aliquando fortiùs agere potest in longiùs dissitum: sicut Sol vehementiùs calfacit terram, quàm mediam aëris [illegible] regionem; & radicem montis, quam cacumen: quanquam ista Soli propinquiora sunt, quàm illa: quia Solis radii in his reflectuntur, & congregantur; atqui illic non item: itémque radii Solares per speculum comburens vehementiùs accendunt in puncto coincidentiæ, quàm propiùs. Quinetiam aliqua patientia longiùs dissita, capaciora sunt actionis agentis, quàm quædam propinquiora: quapropter res solida ab igne magis incalescit, quàm aër igni vicinior.

Ex. Refut.

Acus navigatoria non convertitur & dirigitur ad Boream, à montibus ibidem magnetis feracibus. Nihilo enim validiùs movetur ac convertitur in locis vicinis, quàm in disjunctissimis. Itaque errat doctissimus philosophus Fracastorius,

Fracastorius, eam caussam conversionis illius asserens. lib. de sympath. & antip. cap. 7.

Si aestus marinus oriatur à freto Magallanico, dum Oceanus Orientalis eò confluit, neque satis citò percurrere potest, propter freti angustias; sed intumescit, & aestuat, utique major aestus esset, prope illud fretum, & ab eo longinquius, minor. Verùm non ita evenit. Quare rejicienda est ea opinio Sfondrati lib. de caussâ aestus marini.

Can. Confirm.

2 ***Si actio fortiùs fit in patiens, quando quidpiam ei vicinius est, & debiliùs ubi idem magis dissitum est, id est actionis efficiens.***

Ex. Confirm.

In locis maritimis, aer hyeme magis tepescit, quàm in magis dissitis, & mediterraneis. E. mare caussa est, quae vicina calefacit.

Aer intra Tropicos, perpetuò circumfertur ab Oriente in Occidentem, circa orbem terrarum. Qui motus ubi Sol appropinquat, celerior est; & alibi tardior. Icc irco Sol est illius motus caussa.

IX.

Ab unitione & dispersione agentis.

Hoc unito, num haec actio fortiùs fit, quàm disperso?

Can. Refut. ac Confirm.

1 ***Agens magis unitum, fortiùs agit.***

Vulgò dicitur, *Vis unita fortior.*

2 **Et, *Quo unito, fortior fit actio, id est ejus efficiens.***

Ex. Refut.

In glacie frigus magis unitur, quàm in aquâ: attamen glacies non magis extinguit ignem, quàm aqua. E. frigus non est caussa extinctionis ignis.

Can. Confirm.

Calore stomachi unito, ut in hyeme, concoctio cibi fortiùs fit. E. ille calor concoctionis caussa est.

Alterutro oculo clauso, universi spiritus visivi in altero concurrunt; & tunc clariùs cernimus. E. illi spiritus sunt caussa visionis: nimirum caussa instrumentalis.

Solem calefacere per lumen, ratio manifesta est. Quoniam in ampullâ, & vitro cavo, multi radii congrediuntur; & fiunt unus radius: ideo, qui dispersi debiliorem vim habebant, ii conjuncti & uniti magnam adipiscuntur, & accendunt propinquum aerem, & per illum etiam stuppam. Zabarell.lib.de calore cœlesti cap.1.D.

Exempla hîc dedimus in caussâ instrumentali tantùm, quoniam hujus loci usus major in eâ est.

Hic locus ab unitione & dispersione, non est aliquis ex præcipuis & utilioribus: quapropter si quis eum ejicere mavult, non repugno.

X.

A repassione efficientis agendo. *An hoc agendo repatiatur, nécne.*

Can. Refut.

I *Agens agendo repatitur.*

Hoc multis in locis asserit philosophus: ut 3.Phys. c.2.text. 8. & 1.de Generat.& Corr.cap.7.text.10. & 54. & lib.2.Phys. c.4. & uberiùs 4. de Generat. animal.cap.3. ubi ait, *Omne agens patitur etiam à patiente, ut quod secat, hebetatur: quod calefacit, refrigeratur à calescente: denique, quodcunque movet, mutuò movetur aliquo motu.* Cæterùm non omnia agentia repatiuntur; sed ea solùm, quæ unam specie materiam cum patiente

patiente obtinent: ut omnia corpora ſublunaria, citra controverſiam. Quæ autem ex materiâ ſpecie diverſâ conſtant, ea quoad rationem agendi, & patiendi, non reciprocari inter ſe, palam eſt: id quod Ariſtoteles docet 1. de Generat. & Corr. c. 3. text. 11. aiens, *Quæ eandem materiam non habent, agunt ſine paßione.* Debent præterea agens & patiens ita ſumi, ut congruenter applicata ſint, & utrumque alterum intra ſuæ virtutis ambitum cohibeat. Neque verò de quâlibet actione intelligi debet, ſed de phyſicâ; atque eâ præſertim, quæ in quatuor primis qualitatibus, calore, frigore, humore, & ſiccitate verſatur. Ut nonnulli aſſerunt. Et Scaliger Exercitat. 61. addit hanc conditionem, *ut ibi ſint contrariæ qualitates. Non enim verum eſt*, inquit, *quod aiunt. Quæcunque communem inter ſe habent materiam, ea inter ſe agere, & pati mutuò; id quod redactionem ſcitißimè appellârunt: ſed id evenire ibi, ubi ſunt contrariæ qualitates tantùm.*

Ex. Refut.

Cor non repatitur, ſeu non fatigatur multùm cogitando. E. non eſt efficiens, aut inſtrumentum intellectionis. Ut fuit communis ſententia philoſophorum ante ætatem Hippocratis, & Galeni: qui hoc argumento illam confutârunt.

Cerebrum non refrigerat cordis æſtum. Si enim refrigeraret, etiam à corde caleficret. At non ab eo incaleſcit. Philoſophus autem exiſtimavit, cerebrum conditum eſſe ad cordis æſtum refrigerandum.

Can. Confirm.

2 *Quod agendo repatitur, id eſt prioris actionis efficiens.*

Ex. Confirm.

Multùm cogitando & ratiocinando cerebrum repatitur ſeu, fatigatur, & dolet. E. cerebrum eſt efficiens intellectionis. Nimirum inſtrumentale, ſeu organum.

Sedes oculorum, maximè omnium locorum capitis, seminabilis est. Quod patet, cùm sola ipsa per coitum venereum manifestè immutetur; oculi apertè languescant, & subsidant. Aristoteles 2. de Generat. animal. cap. 5.

Artic. III. Loci compositi ex duabus affectionibus efficientis.

Præter Locos simplicium Affectionum Efficientis suprà traditos, considerandi sunt etiam Loci compositi è duabus ejus affectionibus simul conjunctis.

Sæpenumero enim solent auctores aliíque de rerum Caussis in quolibet caussarum genere differentes, ad rei caussam efficaciùs confirmandam, è duobus, pluribúsve Locis, ac Canonibus conjunctis, unum compositum argumentum conficere: ubi sc. simplex argumentatio ex uno eorum non satis valida videtur. Quod idem nobis censeo imitandum. Itaq; ejusmodi duplicatos Locos, ac Canones, unà cum exemplis compositarum argumentationum afferemus. Idque juxta eum ordinem quem in simplicibus Locis instituimus.

§. 1. A Contactu.

I.

A non contactu, & contactu cum patiente.

Can. Confirm.

Quod antequam attingit quippiam, aliqua actio non fit in ipsum; & dum attingit, fit; id est actionis efficiens.

Ex. Con-

Ex. Confirm.

Antequam lux attingat objectum, ipsum non possumus cernere; at luce attingente, cernimus. E. lux est caussa visionis.

Ventos in caussâ esse terræ motus, non dubium reor. Neque enim unquam intremiscunt terræ, nisi sopito mari, cœloque adeo tranquillo, ut volatus avium non pendeant, subtracto omni spiritu, qui vehit: nec unquam nisi post ventos conditos; sc. in venas, & cavernas, occulto afflatu. Plinius lib.2.cap.79.

II.

A contactu cum patiente, & similitudine cum effectu.

Can. Confirm.

Quali tangente quicquam, talis in ipsum necessariò fit effectus, id est ejus efficiens.

Vel, *Si non nisi unum tale, qualis effectus, tangit passum, dum talis sit effectus, id est illius efficiens.*

Ex. Confirm.

Ventus nunc tangit hanc nubem, quæ simili motu movetur ab Occidente Orientem versus. E. idem ventus caussa est nubem pellendi.

Aer intra Tropicos, præsertim in Oceano, atque etiam supra montium fastigia ab Oriente in Occidentem perpetuò circumfertur, imitatus Solis cursum. Sol igitur illius motus caussa est existimandus.

Contactu calidiorum, ut fervidi aeris, aut thermæ, &c. homines in calidos incidunt morbos. E. illa horum caussa sunt.

III.

A contactu cum patiente, & sufficiente virtute.

Can.

Can. Confirm.

Quod præditum est virtute sufficiente ad quid agendum, & eo tangente, fit effectus, id est ejus efficiens.

Vel, *Si unum solum quod tangit patiens inter agendum, potest effectum præstare, id est ejus efficiens.*

Ex. Confirm.

Halitus permagnas vires ad movendum habent. Quapropter eos magnâ copiâ in terrâ conclusos, & erumpere connitentes, terræmotum efficere putandum est. Hujusmodi est argumentum Aristotelis 2. Meteor. cap. 1.

In calidâ, seu mediâ Orbis Zonâ, (quam ex veterum errore, Torridam etiamnum vocitant) noctes semper diebus, aut æquales sunt, aut perparùm inæquales; ac proinde dies in æstate breviores sunt, quàm in cæteris Zonis; ac nocturnum frigus, diurnum calorem imminuit; imbres sunt assidui; montes alti, ac frequentes; Oceanus vicinus est, præsertim prope Æquinoctialem; denique (quod permagni momenti est) venti assidui, tam statis, quàm extraordinariis temporibus flantes. Quæ omnia satis magnam vim habent, ad refrigerandum aerem, & Solis æstum mitigandum. Hæ igitur caussæ sunt quòd illa Zona, & Æquinoctialis plaga sit minùs calida; & habitationi, & victui hominum, ac cæterarum animantium satis accommoda.

IV.

A contactu, & remotione.

Can. Confirm.

Quo tangente quidpiam, hoc necessariò afficitur; & remoto, ea affectio cessat fieri, illud est hujus efficiens.

Canon hic concordat cum regulâ quâdam ab

Hippocrate, & Galeno, traditâ: quam Hippocrates lib.de vet.medic.hoc modo effert: *Causas uniuscujusque ea putare oportet, quæ cùm adsunt, talem affectionis modum fieri necesse est; quorúmque in aliud permutatione, affectio cessat.* Eundem Canonem breviùs simúlque dilucidiùs efformat Galenus lib.de locis affect.cap.2. ubi ait, *Caussa est id, quo tangente, afficimur*; (vel generaliùs, *quicquam afficitur*) *& quo separato, cessat affectus.*

Ex. Confirm.

Unusquisque judicat Solem esse caußam caloris: propterea quòd quæ suis radiis tangit, ea incalescunt; & eo remoto, desinunt calefieri.

Dum Echeneis adhæret navi, navis sistitur; illóque pisce amoto, navis liberatur, & cursum suum persequitur. Itaque Echeneis fuit caussa detinendi navem.

§.2. A positione.

I.

A non positione cum patiente, & positione.

Can. Confirm.

Sine quo posito cum quopiam, actio non potest fieri in ipsum; & posito fit, id est actionis efficiens.

Vel, *Sine quo posito cum aliquo, hoc non afficitur, & posito, afficitur; illud est affectionis efficiens.*

Ex. Confirm.

Dolores (ut aiebat Plato) *ex* (nimio) *amore animi erga corpus nascuntur. Etenim sine illo non nascuntur, & posito, nascuntur.*

Actus sunt caussa habitus. Quia positis actibus, generantur habitus, & non aliàs. Sic argumentatur Franciscus Suarez Metaphys. Disput.45. sect.8.n.6.

Sic

Sic Aristoteles, probat caussam Iridis. Quia quoties Sol, & nubes ad eum modum habebunt, (quem ibidem describit) & nos Solem inter, & nubes erimus; tunc & non aliter habentibus illis, arcus in Cœlo cernitur. 2. Meteor. cap. 4. text. 8.

Can. Refut.

Ex hoc composito Loco nonnunquam petitur argumentum refutationis: juxta hunc Canonem. Sine quo posito cum passo, actio fit in ipsum; & posito, non fit; id non est actionis efficiens.

Ex. Refut.

Sine divitiis aliqui sunt felices; & multi divites non sunt felices. E. divitiæ non sunt caussæ felicitatis.

Sic Galenus, & Averroes ratiocinantur, *Somnum non fieri obstructis meatibus cerebri, vapore cibi. Quia non quoties à cibo abstinemus, vigilamus: nec quoties cibum capimus, somnum largitur: sed sæpe accidit, ut inanito stomacho, dormiamus; pleno, vigilemus.*

II.

A positione & similitudine caussæ & effectus.

Can. Confirm.

Quale positum talis necessariò consequitur effectus, id est hujus caussa.

Ex. Confirm.

Similes actus, similes consequuntur habitus. E. *tales actus sunt caussa talis habitus.*

III.

III.

A positione rei cum patiente, & sublatione.

Can. Confirm.

Quo posito cum aliquo, actio quæpiam in ipsum fit, & sublato, cessat fieri, id est actionis caussa efficiens.

Ex. Confirm.

Luna interjecta inter Solem, & Terram, accidit eclipsis solaris; illâque interpositione cessante, simul cessat ea eclipsis. E. Luna sic interjecta ejus caussa est.

Honos alit artes. Florent enim & crescunt, quamdiu honorantur, at languescunt cùm contemnuntur.

Polybius lib. 3. *probat Epaminondam, & Pelopidam caussam extitisse, quòd resp. Thebana illorum ætate tantopere floreret, & splenderet, & non reipublicæ forma. Quia cum eorum vitâ, & aucta fuit, ac confirmata; & rursus dilapsa.* Pariterque judicat de Atheniensium rep.

Potest etiam caussa nonnunquam à tribus simul Locis comprobari: à non positione, à positione, à sublatione.

Ut, Antequam Luna intercedit inter Solem, & Terram, nunquam accidit eclipsis Lunaris; quamdiu autem interjicitur, permanet eclipsis; & cùm desinit interpositio, cessat eclipsis. Similiter probari potest Lycurgi leges, & instituta, fuisse caussam fortitudinis Lacedæmoniorum.

Hactenus de Locis ab Affectionibus Efficientis dictum est.

SECTIO

Sectio II.
DE LOCIS A COGNATIS Efficientis, vel à cognatis Efficientibus.

PRæter Locos Affectionum Efficientis antè expositos, sunt etiam alii ejusdem Loci, partim consentanei cum efficiente rei propositæ, partim ei oppositi. Quibuscum efficiens conferendum est, & videndum est utrùm illi sint efficientia effectuum consentaneorum, & hi oppositorum effectui proposito, ánnon: unde propositum efficiens pariter judicatur verum, aut falsum. Quæ omnia, ut uno communi nomine complectar, libuit ea Cognata appellare. Sicut Affectiones caussarum sunt quædam innata & inhærentia illis. Attamen aptiore voce, si quis eam afferet, libenter utar. Interim opinor hanc vocem cognatorum ad animi mei sensum enunciandum sufficere.

Artic.I. De Locis ab Efficientibus superiorum, vel magis universalium effectuum.

Locus

Locus I.

Ab Efficiente Generis. *Num res proposita sit efficiens generalis effecti, vel omnium ejus generis, an nullius.*

Can. Refut. ac Confirm.

1 *Quod nullius rei cujuspiam generis efficiens est, id neque est efficiens ullius speciei, neque singularis ejusdem generis.* Et, 2 *Quod est efficiens generis, aut omnium unius generis, est etiam cujusvis effecti specialis, & singularis ejusdem generis.*

Sed tanquam generale efficiens, non speciale, aut singulare.

Ex. Refut.

Deus nullius mali caussa est. E. neque injustitiæ.

Angeli nullius rei creatores esse possunt. Cùm creare, infinitæ sit virtutis, proindéque solius Dei propria. *E. animæ non creantur ab intelligentiis, aut Angelis.* Ut Avicenna, & nonnulli alii credidêre.

Intellectus contemplativus non est caussa progressionis animalium. Quia hic intellectus non pertinet ad actionem ullam; sed ad solam contemplationem. Arist. 3. de Anima, cap. 11. *Quo modo possunt agere per lumen Sydera? si lumen sola est imago rei. Species enim non agunt in sensum.* Scaliger Exercitat. 76. f. 1.

Ex. Confirm.

Deus caussa est omnis boni. Ac proinde etiam summi

summi boni, seu felicitatis. Arist. 1. Ethic. Nicom. cap. 10. Itidémque disserit Plato in Epinomid. *Deum bonorum omnium caussam, cur non etiam maximi, nimirum prudentiæ, caussam arbitremur?* Ac consimiliter D. Augustinus lib. 3. de lib. arbit. argumentatur, *Quicquid tibi, verâ ratione, melius occurrerit, scias fecisse Deum, tanquam bonorum omnium conditorem.* In quibus argumentis, ubi Deus dicitur caussa omnis boni, vel summi boni, non id intelligitur de omni, simpliciter, tum creato, tum increato; sed secundum quid, i. e. de bono producto, seu creato: Cùm Deus ipsemet sit etiam quoddam bonum, & summum bonum: nihilque sit sui ipsius caussa.

Lucius Florus lib. 4. cap. 10. de bello civili inter Cæsarem, & Pompeium loquens, ait, *Caussa tantæ calamitatis, eadem quæ omnium, nimia felicitas.*

Omnis corruptio à contrario fit. Igitur ea viventium mors, que naturalis dicitur, quandoquidem corruptio quædam est, reverâ à contrario fiet. Colleg. Conimbric. lib. de vitâ, & morte.

Quum omnes voluntarii motus, quales manui sunt, à musculis fiant. Hi utique primum motionis organum manui erunt. Galen. 1. de usu part.

Caliditas ab astris, lumênque ideo fit, quia aër eorum motione fricatur. Motus enim & ligna, & lapides, & ferrum ignire solet. Arist. 2. de Cœlo cap. 1. text. 42. Cui tamen ego hîc non assentior.

II.

Ab efficiente specialis effecti, ad efficientem sui singularis. *Num hoc sit efficiens speciei hujus singularis, an nullius ejusdem speciei?*

Can.

Can. Refut. ac Confirm.

1 *Quod nullius cujusquam speciei efficiens est, id neque est efficiens singularis propositi ejusdem speciei. Et, 2 Efficiens speciei, vel omnium ejusdem speciei, est etiam efficiens cujusvis sui singularis.*

Tanquam sc. speciale efficiens.

Ex. Refut.

Deus nullius injustitiæ caussa est. E. neque injustitiæ Pharaonis.

Natura non est caussa habitus justitiæ. Neque igitur justitiæ Catonis.

Ignis elementaris non uret aërem contiguum: si omnino non urit. Scaliger Exercitat. 9.

Ex. Confirm.

Omnis febris tertianæ caussa est, bilis exuberans. At morbus hujus ægri est febris tertiana. E. fit à bile exuperante.

Concordiâ respublicæ florent, discordiâ dilabuntur. E. hæc resp. concordiâ florebit; discordiâ dilabetur.

Plutarchus narrans corpus Alexandri M. suaviter spirare solitum, *In caussâ, inquit, fuit forsassis fervidum & igneum corporis ejus temperamentum. Gignitur enim odoris suavitas, concoctis à calore humiditatibus.* Uti putat Theophrastus: quapropter aridi ac fervidi tractus Orbis plurima optimáque aromata ferunt. In vitâ Alexandri.

Artic. II. Ab efficientibus Inferiorum Effectuum.

I. Ab

I.

Ab efficiente ſpeciei ad efficientem generis. *Utrùm efficiens propoſitum generalis effecti, ſit efficiens omnium ſpecierum illius generis, annon alicujus.*

Can. Ref. ac Confirm.

1 *Quod alicujus ſpeciei non eſt efficiens, id neque efficiens eſt generis ejus, ſeu generalis effecti.* Et, 2 *Efficiens omnium ſpecierum, eſt efficiens generis earum.* Sive, *Si omnes ſpecies unius generis, efficientes ſunt ſpecialium effectuum, earum genus efficiens erit generalis effecti.*

Ex. Refut.

Natura non eſt cauſſa virtutis Temperantiæ. E. neque virtutis moralis in genere.

Parvitas non eſt cauſſa corruptionis. Inter lapillos enim diutius Adamas, quàm ſaxum durat. Scaliger Exerc. 204. ſic refellit Cardan.

Ex. Confirm.

Prudentia, Juſtitia, Temperantia, Fortitudo, generantur ex conſuetudine moderatarum ejuſmodi actionum. E. virtus moralis gignitur ex crebris moderatis actionibus moralibus. Sic Galen. probat ab induđione ſpecierum, *Corporis temperamentum eſſe cauſſam morum, ſeu diſpoſitionum naturalium, fuſo argumento.* Lib. Quòd mor. an. ſeq. temperament. corp.

Ex. Confirm. Inſtrum.

Oculus eſt inſtrumentum viſionis; ſtomachus, concoctionis;

concoctionis; pulmo, respirationis; cerebrum, intellectionis; itémque reliqua membra suarum operationum. E. omnia corporis membra sunt suarum operationum instrumenta.

II.

Ab efficiente singularis effecti ad efficientem speciei. *An omnia singularia hujus speciei, efficientes sint singularium effectuum ejusdem speciei; an quoddam non alicujus.*

Can. Ref. ac Confirm.

1 *Si aliquod singulare non est caussa alicujus singularis effecti, neque ejus species caussa erit specialis effecti, vel omnium ejusdem speciei. Et,* 2 *Effitiens omnium singularium unius speciei, est efficiens ejusdem speciei.*

Ex. Refut.

Crœsi divitiæ non fecêre ipsum felicem. E. Divitiæ non sunt caussa felicitatis.

Sic Aristot. exemplis argumentatur, *Coapparitionem stellarum errantium, vel inter se, vel cum fixis stellis, non esse causam Cometæ.* Contra Anaxagoram, & Democritum 1. Meteor. cap. 6. text. 13.

Ex. Confirm.

Quotidianis exemplis seu experimentis notum est, motum esse caussam caloris.

Corpora cœlestia in hunc inferiorem mundum agere, & multorum in eo effectorum caussam esse, manifesta docet experientia. Siquidem videmus

Solis

Solis motum afferre quadripartitam anni distinctionem. Unde calorum, ac frigorum vicissitudo; & rerum generatio, obitúsque existit. Conspicimus item quædam astra, suo ortu, vel occasu, in certo aspectu, vel congressu, sterilitatem, aut ubertatem terræ; tranquillitatem, aut procellas mari invehere; & ad inducendos, vel sanandos morbos plurimum habere momenti. Ut Lunæ etiam effectus omittam: quam Aristoteles minorem Solem vocat, lib.4. de Generat. c. ult.

Crebræ justæ actiones fuerunt caussa habitus justitiæ in Catone, Aristide, & aliis justis viris. E. crebræ justæ actiones sunt caussa habitus justitiæ.

Ex. Confirm. Instrum.

Assyrii, Persæ, Græci, Romani summa imperia adepti sunt militari virtute. E. ea est instrumentum acquirendi magnum imperium.

Hujusmodi argumentatio procedens à singularibus caussis ad earum specialem; aut à specialibus ad generalem, ut in superiore loco, Inductio caussarum est. Inductiones autem aliæ necessariæ sunt, aliæ probabiles tantùm: necessariæ sunt illæ in quibus omnes species, aut omnia singularia inducuntur, ubi sunt determinati numeri: aut omnia sunt prorsus similia, & diversitatem pati non possunt: ut præsertim in Mathematicis: aut ratio sufficiens sit ad naturam communem. Illæ verò Inductiones, in quibus nec singularia omnia induci possunt; nec prorsus similia sunt; nec ratio sit ad communem naturam, omnes probabiles tantùm sunt. Aliæ quidem minus, aliæ magis: ac quædam tam propinquæ necessariis, ut pro necessariis habeantur: quæ sunt illarum rerum, quæ semper observatæ sunt esse similes, sine exemplo contrario: tametsi omnia earum singularia impossibile sit inducere. Cæterùm, Inductionis naturam qui pleniùs cognoscere velit, legat Fracastorium

...oriùm de eâdem, lib. 2. de Intellectione, & libello de dieb. criticis, ubi eam optimè docet. A quo nos quæ suprà diximus, didicisse fatemur. Quæ quidem doctrina de Inductione à Fracastorio tradita, etiam posthac in Logicam inseratur, ad eam locupletandam: Logici enim scriptores omnes de eâ tenuè ac miserè docent.

Quinetiam non solùm à multis singularibus, aut exemplis confirmatur caussa efficiens speciei; sed nonnunquam etiam ab uno singulari, vel exemplo caussæ, saltem probabiliter.

Quod genus argumentationis Aristoteles 2. poster. ... vocat Exemplum; & 1. poster. c. 1. part. 3. & 1. Rhet. c. 2. docet esse speciem quandam Inductionis.

Exempla.

Vim Annibalis, hyberna solverunt; & indomitum illum nivibus, atque Alpibus virum, enervârunt fomenta Campaniæ. Effœminat animos amœnitas locorum nimia; ... dubiè aliquid ad corrumpendum vigorem potest regio. Seneca epist. 57.

Aristoteles *probat exemplo Marci civis Syracusani, quòd calor caussa sit poeticæ facultatis. Quia præstantior poeta fuit, quum mente alienaretur.* Problem. s. 3. problem. 1.

Artic. III. De loco ab efficientibus contrariorum, vel à contrario efficientis.

I.

Inter omnia verò Cognata maximè spectare oportet: & videre, an contrarium

rium

rium efficientis propositi (si modò habeat contrarium) sit efficiens alterius contrarii effecti, ánnon.

Hic enim locus validissimus est ad efficiens arguendum, tum infirmandum, tum confirmandum.

Axioma efficientium contrariorum.

Contrariorum efficientia sunt contraria.

Quod multis in locis tradit philosophus: ut 5.Polit.c.8. ubi ait, Τῶν ἐναντίων, τὰ ἐναντία ποιητικά. Et 2.Rhet.cap.4. Δύναμις τῶν ἐναντίων, ἐναντία. Item 2. de Generat. & Corrup. cap. 10. text. 8. Τῶν ἐναντίων αἴτια, τ' ἀναντία. Rursusq; eod. cap. Τῶν ἐναντίων, τὰ ἐναντία αἴτια. Conferat etiam qui volet, 2.Topic.3.4. Et 2. de Generat. & Cor.c.3.& 10.Quæ axiomata intelliguntur de caussis efficientibus per se, non per accidens. Alioquin idem potest esse caussa contrariorum: unius quidem per se; & alterius,per accidens: ut frigus, quum per se refrigerat corpus; & per accidens calorem cogens in interiora, calorem auget: unde sæpenumero febres accendit. Itaque contraria possunt esse caussa unius effecti quum unum eorum agit per se; alterum, per accidens. Quod asserit philosophus, Sect.3.problem. & probat exemplo: quia uritur & à calore,& à gelu, ubi calorem in herbis coëgit universum. Idem docet Thomas multis in locis. Præterea, ob materiæ dissimilitudinem persæpe evenit, ut eadem caussa contrarios producat effectus: sicuti Sol lutum indurat & ceram emollit.

Axioma suprà traditum valet tum ad refutatio-

nem,

...um, tum ad confirmationem caussæ. Quapropter ...nobis idem in duos Canones Refutationis, ac Confirmationis distribuere.

Can. Refut. ac Confirm.

1 ***Si contrarium unum non est efficiens unius contrariorum effectuum, neque alterum erit efficiens alterius.***

2 ***Et, Si unum contrariorum est efficiens unius contrariorum effectuum, alterum quoque erit efficiens alterius.***

Ex. Refut.

Natura improba non est caussa habitus vitii. E. *neque proba natura caussa est habitus virtutis.*

Generatio non fit congregatione. Quoniam etiam corruptio segregatione fieri debeat. Arist. 1. de Gen. cap. 2. text. 13. contra dogma Democriti.

Senes videas corpore bene compacto, alios valde laxo; fuscos, candidos; lividos, rubicundos; nitidos, rugosos; parvos, magnos; macros, pingues. Non ergo hæ caussæ longævitatis. Scaliger Exercit. 270.

Simplum visile, quanquam geminam speciem ad oculos mittit, tamen non videtur geminum. Cujus rei caussam, Cyrvellus lib. 1. Perspect. Vitellio lib. 3. aliique non pauci, *referunt ad concursum nervorum opticorum. At verò falluntur. Etsi enim nervi dissocientur (quod aliquando accidisse, experientiâ anatomicâ compertum est) tamen simplum objectum non videtur duplum.*

Ex. Confirm.

Vitium caussa est miseræ vitæ. E. *virtus, beatæ.*

Animus sibi malè conscius indicibilium dolorum, ac miseria caussa est. E. *è contrario, bona conscientia incredi-*

lem adfert tranquillitatem, & beatitudinem.

Concordiâ respublicæ florent. E. discordiâ dilabuntur.

Si res duobus concrescunt, frigore, & siccitate; calore, & humore solvantur, est necesse. Philosophus 4. Meteor. cap. 10 text. 16. Itémque cap. 11. text. 4.

Theophrastus 2. de caus. plant. cap. 10. postquam mutationum plantarum in melius, caussas exposuerat, inde concludit, *Mutationum in deterius caussas, prædictis esse contrarias constat.*

Artic. IV. Loci à Comparatis Efficientis.

§. 1. A Comparatis in Quantitate: quæ sunt Majus, Minus, & Paria.

I.

A Majori ad absolutum. *Num hujus majus efficiat majorem effectum, ánnon?*

Can. Refut. ac Confirm.

1 *Cujus majus non est efficiens majoris effecti, tale non est efficiens talis effecti.* Nam, *Majus efficiens majorem efficit effectum.*

Aut enim utrumque est efficiens utriusque, aut neutrum alterius.

2 *Cujus majus est efficiens majoris effecti, tale est efficiens talis effecti.*

Vel, *Si majori posito, necessariò fit aliquis major effectus, tale est efficiens talis effecti.* Namq; idem est efficiens absoluti effecti, & majoris, aut minoris: ut, idem absolutum est caussa vitæ, ac vitæ diuturnæ, aut brevis; sc. humidum, & calidum innatum.

Ex. Refut.

Ex. Refut.

Si Sol & Luna marinos æstus concitant, utique maximè sub Torridâ; ubi eorum vires potentissimæ sunt. Atqui ibi parvi admodum contingunt æstus: ut sub ipso Æquatore, & totâ Guineæ orâ, omníque illo Tractu Australi ab Occidente Africæ: itémque universâ orâ Americæ è regione illi oppositâ. E.

Quâ de caussâ qui mari natant, ventre salubriter evacuantur? haud enim quia laborant. Nam qui curriculo certant, vehementer elaborant, sed tamen non ita evacuantur. Arist. problem. sect. 23. 39.

Etesiæ non sunt caussa Niliaci incrementi. Quare enim hyeme non crescit? & tunc potest ventis concitari mare, aliquanto majoribus: nam Etesiæ temperati sunt. Seneca 4. nat. quæst. cap. 2.

Falsum est, Serpentum stercus propter siccitatem bono odore esse. Quid siccius candido Gallinæ stercore? Quid Canino? Quid Muris? Quid Lacerti? Nihil olent. Scaliger Exercitat. 89. sect. 2.

Ex. in caussâ Instrumentali.

Si magnes attrahit ferrum propter similitudinem magnetis cum ferro (quod Avicenna aliique credidêre) *utique magis attraheret Magnes Magnetem; & ferrum, ferrum: quia similiora sunt. At ea non magis trahunt. E.*

Leo, qui longè quàm struthio calidior est, ferrum concoquere nequit. Non igitur struthio vi sui magni caloris ferrum concoquit. Ut asserunt quidam. Quos hoc argumento confutat Alexander Aphrodis. præf. problem.

Temerè scribis (Cardanum alloquitur) *à Serpentibus exui senectam propter siccitatem. Nam longè sicciores arbores corticem nullum mutant. Non Cantharides, quæ inter insecta siccissimæ.* Scaliger Exercit. 189. Idémque alia similia argumenta affert, Exercitat. 180. s. 3. & Exerc. 274. & alibi.

Ex. Confirm.

Noctes plenilunii tepidiores sunt. E. Luna etiam calefacit.

Halitus in terrâ conclusi, & erumpere connitentes, caussa sunt terræmotus. Regiones enim omnes quæ subterraneas partes concavas, & fistulosas obtinent, cùm majorem spiritus copiam in se cohibeant, crebriùs moventur. Arist.2.Meteor.cap.15.text.8. Idémque probat à temporibus anni, quando majores halitus in terrâ existunt. Eod.cap. text.7. Sic idem probat calvitiei caussam, 5.de Generat.animal.c.5.

II.

A Minori ad absolutum. *Num hujus minus efficiat minorem effectum, ánnon.*

Can. Refut. ac Confirm.

1 *Minus efficiens minus efficit.* Vel, *Si minori posito, non fit minor effectus, neque tale efficit talem effectum.*

2 *Et, Cujus minus, caussa est minoris effecti, id tale est caussa talis effecti.* Vel, *Si minori posito, minor fit effectus, id tale caussa est talis effecti.*

Ex. Refut.

Si thermæ calefierent à Sole (ut quidam arbitrantur) *utiq; hyeme, quando Sol eas minùs calefacere potest, minùs fervescerent: at tunc nihilominùs fervescunt. E. non à Sole.*

Cardanus asseruit marinas aquas à Sole duci. Quem refellit Scaliger Exercitat.52. *Quia ad Boream* (ubi Solaris vis remissior est) *tamen vehementissimæ sunt: velut ad Terram Laboratoris.*

Ex. Confirm.

Quibus minus calidi, & humidi innati inest, iis brevior est vita. E. vita consistit in calido & humido nativo.

Sic Aristoteles ratiocinatur, *Ambiens calidum caussa est putredinis. Nam tempore hyemis, res minùs putrescunt, quàm*

quàm æstate: quia hyeme circumdans corpus, ut aer, aut aqua, parum caloris retinent: ideóque exiguas vires habent; æstate verò plus. 4.Meteor.cap.1.text.16.

III.

A Pari. *Num alterum par sit efficiens alterius paris effecti, nécne.*

Can. Refut. ac Confirm.

1 *Si unum parium non est efficiens unius parium effectuum, neque alterum erit efficiens alterius. Quia, Parium pares sunt caussæ.*

2 *Et, Si unum caussa est unius, probabile est, alterum quoque esse alterius.*

Ex. Refut.

Si Etesiæ caussa essent Niliacæ inundationis in Ægypto, oporteret alia quoque flumina quæcunque Etesiis obnoxia sunt, idem quod Nilus, pati. Sunt autem multa flumina, quæ tamen nihil tale patiuntur. Non igitur illius inundationis caussa sunt. Hoc argumento Herodotus lib.2.cap.2. Et Diodor. Siculus lib.1. confutant illam Thaletis sententiam.

Si magnes attrahit ferrum propter substantiæ similitudinem cum ferro, oporteret etiam lapides æreos æs trahere, & cæteros lapides metallares, similia metalla. At non trahunt. Neque igitur magnes ferrum trahit ob substantiæ similitudinem. Ut multi philosophi credidêre. Quæ opinio Platoni, Aristoteli, Galeno, & Avicennæ tribuitur: & ratione modò dictâ à quibusdam philosophis coarguitur.

Ais, ob calorem sub terram hyeme repercussum, nives afferre fœcunditatem. Verùm non est ea caussa. Eandem enim consequerentur arva utilitatem ab aere frigido obsidente,

ſidente, atq; intus æquè calorem cohibente. Adverſus Cardanum Scaliger Exercitat. 54. ſ. 2.

Ex. Confirm.

Luna lumen accipit à Sole. E. & reliqua aſtra nihiloſecius lumen ab eo accipere videntur.

Auditus, & tactus fiunt per receptionem ſpecierum ſuorum objectorum. E. & viſio pariter fieri videtur per receptionem ſpecierum rerum viſibilium.

Senſus ſentit per ſpecies ſenſibiles. E. intellectus æquè intelligere videtur per ſpecies rerum intelligibilium.

Homines temperanter agendo fiunt temperantes. E. non minùs juſtè agendo fiunt juſti.

§. 2 A comparatis in Qualitate, i.e. à Similibus.

I.

A ſimilibus, vel, ab efficientibus ſimilium. *Sitne hujus ſimile efficiens alterius ſimilis effecti, ánnon.*

Can. Refut. ac Confirm.

1 ***Si unum veriſimilium non eſt efficiens unius ſimilium effectuum, neque alrum erit efficiens alterius.*** **2** ***Et, Si unum eſt unius, alterum quoque erit alterius. Similium enim efficientia ſunt ſimilia.***

Quod docet Ariſtoteles 1. Rhet. cap. 4. ubi ait, Ἀπὸ τῶν ὁμοίων, τὰ ὅμοια γίγνεσθαι πέφυκεν. *A ſimilibus ſimilia fieri apta nata ſunt.*

Ex. Refut.

Non faciunt equum meliorem aurei fræni: nec hominem meliorem, fortunæ ornamenta. Sen.

Simile argument. eſt 1. Meteor. c. 8. text. 2. *Viam lacteam*

lacteam non fuisse combustam à Sole, quem per eum circulum aliquando ferri dicunt. At illud perabsurdum est, non animadvertere, si ea foret caussa, Signiferum quoq; haud aliter affectum esse oportere. Atque non pauca talia argumenta à simili occurrunt apud eundem philosophum.

Homo, ait Cardanus, *est crudelis, & dolosus, quia est calidissimus, & humidissimus. Talis autem est Aries, Hœdus, Verres: quæ tamen animalia, neque crudelia, neq; dolosa sunt.* Scaliger Exerc. 274.

Si Succinum calore attrahit festucam, cur alia etiam plurima corpora, igne, Sole, aut attritu calefacta, non attraherent? Gilbertus lib. 2. de Magnet. cap. 2.

Ex. Confirm.

Sicut ædificando, ædificatores; citharâ canendo, citharædi efficiuntur; ita quoque justa agendo, justi; temperantia, temperantes; fortia, fortes evadimus. Arist. 2. Ethic. Nicom cap. 1.

Quòd tam defectus, quàm excessus corrumpat virtutem, confestim in exercitiis hoc viderit quispiam: quæ si excedunt, robur affligunt; sin deficiunt, eodem modo habent: idem in cibo, potúque evenit, &c. His consimile evenit in temperantiâ, & fortitudine, reliquísque virtutibus, &c. Philosophus 1. mag. moral. c. 6. Eodémque argumtitur 2. Ethic. Nicom. cap. 2.

Ut in præliis, transitus fossarum, etiamsi admodum parvi sint, interrumpunt ordines: ita & in civitate, dissimitudo omnis videtur disjunctionem facere. Arist. 1. polit. c. 8.

Sic idem philosophus probat caussam terræmotus esse flatum in terrâ, à simili caussâ tremoris in corpore humano. 2. Meteor. c. 15. text. 10.

Itémque Seneca probat terræmotuum caussas, à similibus, 1. nat. quæst. c. 11. Et Lucretius varias tonitru caussas lib. 6. Et sic Vitruvius lib. 1. venti caussam ab Æolopilis æreis.

Belgæ fortissimi sunt Gallorum, quòd cum Germanis continenter bellum gerant. Quâ de caussâ Helvetii quoq;

reliquos Gallos virtute præcedunt; quòd ferè quotidianis prœliis, cum Germanis contendant; quum aut suis finibus eos prohibent, aut ipsi in eorum finibus bellum gerunt. Cæsar lib. 1. de bello Gallico.

Atq; ex hoc Loco ac Canone innumerabiles caussæ apud autores confirmantur. Sed probabiliter tantùm, non necessariò.

§. 3. Loci à Comparatis in probabilitate.

Comparatis in quantitate, & in qualitate, non inutile fuerit subtexere Comparata in probabilitate. Quæ sunt quod magis, vel minùs, vel æquè videtur esse rei caussa.

I.

Ab efficiente magis verisimili.

Can. Refut.

Quod non potest efficere id quod verisimilius est, nedum efficit quod minus verisimile est.

Estque hic Locus à minori ad majus: verisimilius enim est quidpiam caussam esse minoris, quàm majoris. Et valet ad refellendum duntaxat.

Ex. Refut.

Nemo adeo stultus est, ut credat casu lapides, aut ligna in domûs formam coalescere posse; aut ex jactis fortè literis elegantem orationem, aut poema extitisse. Multò minùs credibile est, Mundum conditum fuisse, atomis casu in unum concurrentibus. Uti credidit Democritus.

Animalia, & plantæ non fiunt à casu. Nedum Cœlum, aut Mundus casu fuit conditus. Quo arg. Aristoteles refellit

fellit

fellit Democritum, 2.Phys.c.3.text.45. Idémque repetit 1.de part.animal.cap.1.

Sol non potest è putri generare Leones, Elephantes, aut alia perfecta animalia. Multò minùs hominem. Ut Avicenna lib. de Diluvio, aliíque quidam philosophi existimârunt. Tali argumento utitur Lucretius lib. 6. de caussâ nocturni fervoris fontis Ammonii. *Qui queat, &c.*

II.

A minùs probabili.

Estque hic locus à majori ad minus: quia caussa majoris minus verisimilis est, quàm minoris. Et valet ad confirmandum tantùm.

Can. Confirm.

Quod est caussa rei minùs verisimilis, magis videtur esse caussa rei magis verisimilis.

Ex. Confirm.

Deus caussa est hominis. E. multò probabiliùs, musca, ac vermiculi.

Sol generat ranas in nubibus. E. multò magis in terrâ.

III. Ab æquè verisimili.

Can. Refut. ac Confirm.

1 *Quod non est caussa unius æquè verisimilium, neque videtur esse caussa alterius.* 2 *Et, Quod est efficiens unius eorum, æquè videtur esse efficiens alterius.*

Ex. Refut.

Plinius lib. 2. ait, *Solem ardoris vehementiâ mari incoquere saporem salis. Quod non est verum. Idem enim non minùs fieret in aliis aquis, Solis æstui æquè expositis: ut,*

ut in lacubus, aut in pelve. Atqui id ibi neutiquam accidit.

Ex. Confirm.

Seneca probat caussam parelii. *Num quis nostrûm miratur*, inquit, *si Solis effigiem in aliquo fonte, aut placido lacu videt? Non, ut puto. Atqui tam in sublimi facies ejus potest, quàm inter nos reddi.* 1.nat.quæst.cap.11.

Caussa Niliacæ inundationis, æquè probabiliter probari potest à causâ inundationis fluminis Nigri in Africâ, & fluvii Amazonum, in Americâ: quod utrumque flumen exundat prope ostia, in æstate: quia circa fontes eorum maximæ ac diuturnæ pluviæ cadunt, ubi eodem tempore hyems est.

Artic. V. Loci compositi è binis Cognatis Efficientis.

I.

Ab utroque contrario posito.

Can. Confirm.

Quo posito fit aliquis effectus; ejúsque contrario posito, fit alter contrarius, illud est caussa illius effecti.

Vel, *Si utrumque contrarium positum necessariò consequuntur contrarii effectus; illud est caussa illius, & hoc hujus.*

Ex. Confirm.

Ut procul cernatur, motúsque à longinquis visibilibus deveniat, caussa est situs oculorum. Quæ enim (animalia) *oculis prominentibus sunt, procul cernere nequeunt: quæ contrà, intus in cavo oculos habent positos, longè aspicere possunt: quoniam motus in vastum non dissipatur, sed recto tramite meat.* Arist.5. de Generat. animal.c.1.

Homines (ait Cic.2. de Offic.) *eos viros suspiciunt, maximísque efferunt laudibus, in quibus existimant se excellentes quasdam, & singulares virtutes perspicere:*

despiciunt autem eos, in quibus nihil virtutis, nihil animi, nihil nervorum putant. E. caussæ maximæ laudis, & admirationis, sunt excellentes virtutes.

Improbi miserè vivunt ; & contrà virtuosi, beatè. E. virtus est caussa beatæ vitæ.

Oves quædam in lætis pascuis bis parere solent quotannis : eædémque in minùs lætis, aut sterilibus, semel duntaxat in anno pariunt. Unde constat hoc provenire magis ab ubertate pascuorum, quàm ab ovium natura. Olivarius Serranus lib.4.cap.13. Theatri Agricultur. Gallico sermone conscripti.

II.

A Majori & Minori posito.

Can. Confirm.

Si majus est caussa efficiens majoris effecti alicujus, & minus minoris ; id tale est efficiens talis effecti.

Vel, *Quo majori posito, major fit effectus, & minori posito, minor ; id absolutum est efficiens talis effectus.*

Ex. Confirm.

Quibus animantibus plus calidi, & humidi innati inest, ea longæviora sunt ; & quibus minus, ea brevioris vitæ sunt. E. vita consistit in calido, & humido nativo.

Res magis putrescunt in locis, ac temporibus calidioribus, & contrà, minùs in frigidis. E. ambiens calidum caussa est putredinis.

Ex hoc ipso Loco caussa nonnunquam etiam refellitur, juxta hunc Canonem.

Can. Refut.

Efficiens majus majorem efficit effectum, & minus minorem.

Ex. Ref.

Ex. Refut.

Etesiæ non sunt caussa Niliacæ inundationis in Ægypto. Nam quare non fit major, quò illi flaverint vehementiùs? hoc remittitur incitatúrque, prout illis impetus fuit? quod fieret, si illorum viribus cresceret. Seneca 4. nat. quæst. cap. 2.

Si aquæ thermarum à Sole incalescerent, utique augeretur earum calor æstate, & remitteretur hyeme: quod non ita se habet. E. Sol non est illius fervoris caussa. Contra placitum quorundam, & inter eos Rhentivoli 2. cap. libelli de caussis proprietat. element. vulgò Aristoteli perperam ascripti.

Atque hi sunt Loci compositi Efficientis à cognatis, quibus auctores potissimùm utuntur. Possunt similiter nonnulli alii, uti opus fuerit, conjungi: ut, à duobus paribus, à binis similibus. Quos cùm facilè factu sint, relinquo prudentiæ utentis.

Hactenus de Examine Efficientis dictum est.

Cap.

Cap. III.

DE RATIONE examinandi Finem.

Sectio I.

DE LOCIS A SPECIALIbus Affectionibus Finis.

Articulus I.

Loci à Conditionibus Finis prærequisitis ad finalem caussationem.

Expositum est examen caussæ efficientis: restat inter caussas externas Finis.

Quicquid fit, finis gratiâ fit: omne enim agens agit propter aliquem finem: dum enim operantur agentia expetunt bonum: ad quod, vel seipsa dirigunt, ut cuncta, & sola intellectualia agentia; vel ab alio intelligente agente diriguntur; at cætera tendunt in finem ab alio directa: sive ferantur in ipsum, aliquâ notitiâ præeunte, ut brutæ animantes; sive nullâ, ut arbores, & elementa. Tendunt autem hæc directa & impulsa à motore primo, i.e. à Deo; eo modo quo sagitta dirigitur in scopum à sagittario, aut globulus à sclopetario: útque sagitta,

gitta, aut globulus ad ſcopum attingendum, impetum recipit ab eo, à quo emittitur; ita agentia naturalia conſequuntur propenſionem ad ſuos fines à Deo, à quo formas, & virtutes ad proprios motus obeundos ſortiuntur. Unde opus naturæ dicitur opus intelligentiæ. Eſtque Finis prima cauſſarum, & cauſſa cauſſarum dicitur. Sic Galenus lib.6.de uſu part.ait, primam agendorum cauſſam, ſcopum actionis exiſtere: quia nullum agens agit niſi priùs motum & excitatum à fine; & propter finem materiæ formam inducit; & finis cauſſalitas cauſſalitates omnium aliarum cauſarum origine antecedit. Dicitúrque etiam potiſſima cauſſaram: quoniam reliquæ cauſſæ ſunt propter ipſam. Ut advertit Averroes. Non immeritò igitur Avicenna lib. 6. Metaphyſ. diſputationem de finibus omnium præſtantiſſimam judicavit. Nec ſanè minùs utilis ac neceſſaria eſt finis conſideratio ac cognitio in rebus agendis, quàm excellens & jucunda in contemplandis. Nimirum quemadmodum ſagittarii & ſclopetarii ſcopum intuentes, ad eum rectiùs collimant; conſimiliter actiones noſtras ad verum eorum finem meliùs dirigere poſſumus, ubi eum prænoverimus. Quapropter Ariſtot. 1. Ethic.Nicom.cap.2. ad vitam noſtram rectè inſtituendam, cognitionem finis ejuſdem maximi momenti eſſe aſſerit: & poeta prudenter monet,

Quicquid agas, prudenter agas, & reſpice finem.

Et Arabico proverbio jactatur,

Prudentiſſimus hominum, qui fines reſpicit.

LOCI A SPECIALIBUS Finis Affectionibus.

I. A conditionibus ad finalem cauſſationem prærequiſitis: ut, 1. *A bonitate*

tate finis. 2 A primâ cogitatione. 3 A cognitione. 4 Ab agentis appetitu finis per se. 5 A prioritate finis ante medium in intentione.

II. Loci ab affectionibus finis, quâ jam finis est, vel quâ intentus est.

§. 1. Respectu Agentis.

A finis motione agentis ad agendum, ut ipsum consequatur.

§. 2. Respectu Medii, qualis sit.

1 *A finis indigentiâ medii.* 2 *Ab aptitudine vel utilitate medii ad finem.* 3 *A proportione dignitatis finis ad medium.* 4 *A non intentione finis, & medii.* 5 *Ab intentione finis, ac medii.* 6 *A cessatione intentionis finis ac medii.* 7 *Ab identitate medii, seu non contrarietate mediorum ejusdem finis.*

§. 3. Quæ finis quâ intentus tribuat medio.

1 *A tributione amabilitatis, seu appetibilitatis medio.* 2 *A tributione modi ac mensuræ.*

III. Sunt Loci finis producti, quid

 sit,

fit, & qualis, & quæ tribuat agenti.

§. 1. Quid sit finis productus.

1 *A propriâ rei operatione.*

§. 2. Qualis sit finis productus.

1 *A non existentia medii, ac finis.* 2 *Ab existentia seu productione medii, ac finis.* 3 *Ab ordine seu executione medii ac finis producti.* 4 *A sublatione medii, ac finis producti.*

§. 3. Quæ finis productus tribuat agenti, & medio.

1 *A finis producti tributione perfectionis agenti, & medio.* 2 *Ab expletione appetitus agentis.* 3 *A cessatione operationis agentis.*

IV Tandem sunt Loci finis compositi è duabus ipsius affectionibus.

§. 1. Respectu finis intenti.

1 *A finis non intentione, & intentione.* 2 *Ab intentione, & cessatione intentionis.* 3 *A finis motione, & non motione agentis ad agendum.*

§. 2.

§. 2. Respectu finis producti.

1 *A non existentiâ, & existentiâ medii, ac finis.* 2 *Ab existentiâ, & sublatione medii producti, & finis.*

§. 3. Respectu ordinis finis intenti, ac producti.

1 *Ab ordine intentionis, & productionis finis, & medii.*

LOCI A COGNATIS FINIS.

I. Sunt à finibus superiorum: ut, 1 *A fine generis, vel generalis destinati.* 2 *A fine speciei superioris.*

II. A finibus inferiorum: ut, 1 *Specierum.* 2 *Singularium.*

III. A fine Totius, & Partis. 1 *A fine Totius.* 2 *A fine Partis.*

IV. A finibus contrariorum. 1 *A fine contrarii.*

V. A finibus comparatorum, in Qualitate, & in Probabilitate: ut,
1 *A fine similis destinati.*
2 *A fine magis probabili.*
3 *A fine minùs probabili.*
4 *A fine æquè verisimili.*

VI. Denique, est Locus compositus à cognatis finibus: ut, 1 *Ab utroque contrario.*

Locus I.

Locus primus finis examinandi, est à bonitate finis: *Itaque finis propositus examinandus est, annon sit bonum quid.*

Can. Refut.

Omnis finis est bonum.

Plato ait, *Omnem rem habere pro suo fine bonum.* Et Galenus consentit, cùm inquit, τέλ☉ ἐςὶ κτ̀ τὴν ὀσίαν ἑκάςε ἀγαθόν. Scholastici sic efferunt axioma, *Quicquid est finis, est hoc in quantum bonum.* Idem Canon negativè efformatur: ut, *Nullum malum cujusquam rei finis est.* Quod est apud Scaligerum Exercitat. 254. Confirmatur Canon per experientiam, quæ ostendit neminem expetere quicquam, nisi sub ratione boni; & malum, quâ malum est, appeti non posse; atque iccirco nec esse finem. Idemque ratione comprobatur, quia bonitas omnium doctorum cousensu, est proxima ratio quâ finis movet, atque eadem est quæ constituit finalem caussam, dans illi, ut ita dicam, virtutem ad caussandum: caussalitas enim finis consistit in motione metaphoricâ voluntatis, quâ illam ad se allicit, quatenus bonum est.

Attamen finis non semper revera bonum est, sed quandoque apparenter tantùm: ut constat experientiâ: quia sæpe movetur homo ad appetendum aliquid tanquam finem, quod revera non est bonum: ut improbas actiones, & pravas voluptates. Quapropter

propter Philosophus 2. Physic. cap. 3. text. 31. ait, *Nihil refert, bonum ipsum dicatur, an quod appareat bonum.* Ac consimiliter lib. 3. Ethic. cap.6. Malum autem quâ malum, non posse appeti, docet etiam Seneca lib. 4. de Benefic. c. 17. ubi ait, *Nemo est à naturæ lege adeo alienus, ut malum nisi sub aliquâ specie boni, possit appetere.* Et Dionysius cap.4. de divin. nomin. *Nemo ad malum spectans, operatur.* Sufficit autem ad appetitum agentis movendum & alliciendum, ut rem appetat tanquam quæ bonum quid illi videatur: quia voluntas appetit id quod intellectus judicat esse bonum: & idem judicium de apparente & existimato bono fertur, & æquè verum censetur; ac denique eodem modo repræsentatur seu proponitur voluntati. Porro, finis non solùm est bonum, sed etiam per se bonum. Ut docet Philosophus 1. mag. moral. c. 2.

Ex. R fut.

Corruptio est malum: sicuti generatio ei opposita est bonum quid. E. corruptio non est finis naturæ per se. Colleg. Conimb. in lib. de Generat. & Corr. quæst. 16. artic. 5.

Mors non est bonum quid per se. Proinde nullius rei caussa finalis est. Iccirco Philosophus 2. Phys. c. 2. text. 23. reprehendens Euripidem, *Poeta*, inquit, *ridiculè eò adductus est, ut diceret de mortuo quodam, finem habet cujus gratiâ erat genitus: non enim omne quod ultimum est, finis est, sed id quod optimum.*

Scaliger refellit Cardanum existimantem hominem natum esse, ut esset animal fallax. *Non enim*, ait, *malum ullum cujusquam rei potest esse finis. Non igitur ejus finis erit fallacia, sed virtus.* Exercitat. 254.

Carere malo duntaxat non est bonum. E. non dolere, non est finis hominis, aut beatæ vitæ. Ut asserit Hieronymus

nymus apud Cic.lib.de finibus. In quâ sententia fuit Epicurus, qui finem bene beatéq; vivendi statuit esse, μήτ' ἀλγεῖν κατὰ σῶμα, μήτε ταράττεσθαι κατὰ ψυχήν. *Non dolere corpore, nec animo perturbari*, ut suum ipse dogma declarat apud Laert. lib. 10.

II.

A principio cogitandi. *An agens de hoc primò cogitârit, necne.*

Can. Refut.

1 *Finis est principium cogitandi.*

Vel, *Agens primò cogitat de fine.* Arist.2. Phys.c.9. text.69. *Finis*, inquit, *est unde principium ducitur, non agendi, sed cogitandi.* Idemque item, *Finis est principium actionum*, 1.Metaphys. cap. 2. & 1. Rhet. c,7. & 6.Ethic.Nicom.c.5.& 2. Ethic.ad Eudemum c.6. Tale est illud axioma, *Omnis intellectus operativus incipit à fine.*

Ex. Refut.

Non cogitavit de occidendo illo homine, quem globulo tormentario transverberavit. E. non propter id globulum emisit.

Milesii piscatores, ut fertur, in mari piscantes offenderunt aureum tripodem, de quo ne cogitârunt quidem: Non ergo piscabantur ut illum reperirent.

Can. Confirm.

2 *Id de quo primò cogitat agens in re quâvis agendâ, est finis illius, & actioni.*

Ex. Confirm.

Intemperantes primò cogitant de voluptate earum rerum quas intemperanter agunt. E. propter eas voluptatem agunt.

Medicus

Medicus curaturus ægrum, primò cogitat de sanitate restituendâ. Quare ea est finis ejus, & curationis.

III.

Ab agentis intelligentis cognitione finis. *An hic sit ignotus agenti.*

Can. Refut.

Finis est cognitus agenti.

Vel, *Ignotum non est Finis.* Ut enim finis causset, necessarium omnino est, ut præcognitus sit. Estque hæc sententia omnium Philosophorum, ait Suarez 23. Disput. Metaphys. sect. 6. n. 2. Atque probatur ex modo caussandi hujus caussæ: qui est metaphoricè movendo & alliciendo appetitum: in quo consistit caussalitas finis. Ad quod necessarium est, ut præcedat actus intellectus ad movendam voluntatem. Et, *Ignoti nulla cupido*, ut pervulgatum est: quia voluntas non potest ferri nisi in bonum cognitum. Quamobrem Philosophus 2. de Animâ cap. 10. ait, *appetibile non movere, nisi mente, aut imaginatione perceptum.* Cui consentiunt ibidem omnes interpretes. In eâdem sententiâ est D. Augustin. lib. 10. de Trin. c. 1, & 2. & alibi. Idémque asserunt multi alii autores, quos omitto.

Cæterùm, cognitio illa seu judicium requisitum, ut aliquid moveat agens tanquam finis, non semper verum est, sed sufficit ad movendum, si sit apprehensio alicujus bonitatis illius rei, vel veræ, vel apparentis. Ac satis est, si cognitio illa sit in agente dirigente, tametsi non sit semper in agente immediato, aut propinquo. Quæ verò non habent cognitionem non tendunt in finem, nisi directa ab aliquo cognoscente; sicut sagitta à sagittario, & globulus à sclopetario. Itaque quum agentia naturalia agunt propter finem, illius actionis finis est illis quidem

incognitus, sed cognitus autori naturæ. Simile est in horologiis, aliisque operibus artis; quorum finis cognitus est eorum artificibus, non item instrumentis, & mediis.

Ex. Refut.

Fossor dum terram fodit, casu rep rit thesaurum sibi antea ignotum. Non igitur fodiebat ut illum reperiret.

Multæ insulæ in Oceano prius incognitæ, casu à navigantibus retectæ sunt: ut, Asores, Insula S. Helena, aliæque. Non ergo navigârunt, ut eas retegerent.

IV.

Ab agentis appetitu finis per se.

Num hoc ab hoc agente appetatur, per se, necne.

Can. Refut. ac Confirm.

1 ***Finis ab agente expetitur per se.***

2 ***Et, Quod ab aliquo per se expetitur, est ejus finis.***

Neque verò finem ea solùm appetunt, quæ agunt consultò, & per electionem (ἐκ προαιρέσεως) ut homines: sed etiam quæ agunt ex necessitate naturæ: ut res inanimatæ. Quarum appetitus, naturalis dicitur: nihílque aliud est, quàm innata propensio ad finem, sibi ab universi auctore, h.e. à Deo præfixum: Cæterùm, finis expetitur per se, quatenus finis est: alioqui quando medium est ulterioris finis, tunc non appetitur per se, sed propter aliud: ut sanitas expetitur & per se, ob bonitatem suam, tanquam finis; atque etiam ad actiones meliùs obeundas, tanquam medium.

Ex. Refut.

Cato non expetebat gloriam, eam enim contempsit: Non

Non igitur gloriæ causâ justa egit.

Homines sapientes divitias expetunt, non per aut propter se, sed propter aliud: nimirum ad usus vitæ necessarios. Ergo illæ non sunt eorum finis.

Mors aut corruptio non expetitur à naturâ per se. Non ergo est naturæ finis.

Ex.Confirm.

Contemplatio veri, & actio virtutis ab homine expetuntur per se. E. illæ sunt hominis fines.

Jucundum amicitia propter voluptatem esse videtur. Secundum enim affectum vivunt, & maximè expetunt & sequuntur jucundum ipsis & præsens, Arist. 8. Ethic. Nicom. cap. 3. context. 5.

Ipsius veritatis cognitio, adeò est amabilis, adeò desiderabilis, ut ipsum hoc vivere, & esse, propter cognitionem data videantur. Plutarch. commentar. ne suaviter quidem vivi posse sec. Epicuri decreta.

V.

A prioritate finis ante medium in intentione. *Estne hic hoc ita prior, annon?*

Can. Refut.

I *Finis prior est suo medio.*

Vel, *Finis prior est eo cujus finis est.* Nimirum quatenus finis est, i.e. quâ intentus, vel in intentione; non autem quâ productus: sic enim effectus est agentis, & medii, eóque posterior. Canon negativus est, *Nullum posterius in intentione, est finis prioris.*

Ex. Refut.

Vitæ conservatio priùs à naturâ expetitur, quàm alimenta. E. non est vivendum ut edamus.

Boni non expetunt voluptatem bonarum actionum, antequam

tequam has expetunt. E. non expetunt bonas actiones voluptatis caussâ.

Can. Confirm.

2 *Quod prius est in intentione, est finis posterioris.*

In eis nimirum quorum unum intenditur seu ordinatur ad alterum.

Ex. Confirm.

Ratione rectè uti, desideratur & appetitur priùs quàm Logica. E. id est finis artis Logicæ.

Primò expetimus felicitatem activam: quæ est actio virtutis: deinde, virtutem moralem. Igitur illa felicitas est virtutis finis.

Contemplatio rerum naturalium expetitur ante earum scientiam. E. illa est hujus gratiâ.

Victoria priùs intenditur, quàm bellum. Illa igitur est finis belli.

Artic. II. Loci ab affectionibus finis, quâ intenti, vel quâ jam finis est.

§. 1. Respectu Agentis.

I.

A finis motione agentis ad agendum, ut ipsum consequatur.

Can. Refut.

1 *Finis movet agens ad agendum.*

Nimirum, ut finem producat, aut acquirat. Quæ motio dicitur metaphorica, itémque motus amoris ac desiderii: ex Aristotele 1. de Generat. ac Corrup. Quamobrem, ut scribit Scaliger Exercitat. 207. l. 25. *Finis dicitur à Philosopho non verè movere, sed per metaphoram, id est, similitudinem verorum motuum.* Et in ista

istâ metaphoricâ motione, quâ appetitus agentis movetur, consistit caussalitas, seu ratio caussandi caussæ finalis, uti suprà dictum est; non tamen respectu cujuslibet agentis, sed creati tantùm: ut probatur à Colleg. Conimb. in 2. Phys. c. 7. quæst. 21. art. 2. Canon aliter effertur: ut, *A fine cietur agens ad agendum.* Apud Scaligerum Exercitat. 187. s. 5. Item, *Finis non est causa, nisi secundum quod movet efficientem*: ut apud Scholasticos.

Ex. Refut.

Hic studiosus non movetur lucro ad studendum. Quare lucrum non est finis studiorum ipsius.

Boni non alliciuntur voluptate ad probas actiones agendas; sed honestate. *Non ergo propter voluptatem eas agunt.*

Can. Confirm.

2 *Id à quo agens movetur ad agendum, ut ipsum consequatur, est finis actionis.*

Sive, *A quo agens allicitur ad agendum, id est actionis finis.* Dixi ad ipsum consequendum; quoniam hoc proprium est finis, & in eo differt ejus motio, ab eâ motione, quâ caussæ impulsivæ, tum proëgumena, tum procatarctica, movent agens ad agendum: quæ non movent ad se, sed ad aliud quidpiam, h.e. finem consequendum.

Ex. Confirm.

Studiosi moventur ad studendum, ut eruditionem sibi comparent. E. eruditio est finis studiorum.

Victoria movet homines ad bellum gerendum, ut eâ potiantur. Itaque victoria est finis belli gerendi.

Lucrum allicit mercatores ad mercaturam exercendam. E. lucrum est mercaturæ finis.

§. 2.

§.2. Respectu Medii, qualis sit finis.

I.

A finis indigentiâ medii. *Num hic hoc indiget, nécne?*

Can. Refut.

1 ***Finis indiget medio:***

Nimirum ut acquiratur. Vel, *Medium necessarium est ad suum finem.* Vel, negativè, *Medium non est supervacuum ad suum finem.* Vel, *Quod altero non eget, ut acquiratur, non est ejus finis.* Quæ verò finis gratiâ sunt, alia sunt opera; alia verò instrumenta, docente Philosopho 2. Phys.c.1.context.29.

Ex.Refut.

Cor non eget cerebro ad suum æstum refrigerandum, & temperandum: quoniam assiduâ aëris inspiratione commodissimè refrigeratur. *Non igitur cerebrum conditum est, cordis refrigerandi gratiâ.* Est arg. Galeni lib.8.de usu part.adversus Aristot.

Quid tanto opus est instrumento in optimis artibus comparandis? quid tanto concursu honestissimorum studiorum? tanto virtutum comitatu? si ea nullam ad rem, nisi ad voluptatem conquiruntur? Cic.2.de finibus.

Nego propter stipitis tegumentum, stirpibus data folia; nempe munitus ille suo cortice satis est. Scaliger Exerc. 177. s 3. Idémque consimili argumento utitur Exerc. 254.

Can. Confirm.

2 ***Quod alio quopiam indiget, ut acquiratur, hujus finis est.***

Scalig. Exerc. 250. s. 5. ait, *Si quid altero quopiam eget, & utrumque à naturâ factum est, hoc propter illud factum esse, necesse est.* Ubi voluit dicere, *illud propter hoc.*

hoc. Idem eâdem Exerc. ſ. 3. *Sine quo quicquam exiſtere non poteſt in naturâ, id eſt illi neceſſarium, atque propter illud factum.*

Ex. Confirm.

Homo animalium maximè omnium piloſo capite eſt, ut frequentiâ pili caput operiens, defendat à nimio frigore, & calore. Cùm enim cerebrum hominis proportione maximum, & humidiſſimum ſit, maximam etiam tutelam deſiderat. Quod ibidem probat Ariſt. 2. de part. Animal. c. 14.

Cordis calor effervescens eget inſpiratione aeris ad ipſum refrigerandum, & moderandum. E. hic finis eſt inſpirationis animalium. Eſt Galeni ratio lib. 6. de uſu part.

Motus cœleſtium corporum, ut Solis, Lunæ, &c. neceſſarius eſt ad eorum influxus aptè diſpertiendos, atque temperandos. Quod inde patet, quia circumvectione, & viciſſitudine lucis, aliis, atque aliis terrarum oris mirificè commodatur; & impeditur exceſſus frigorum, & calorum. *E. propter hos fines motus Cœlo, & Soli datus eſt.*

Uvæ teneræ egent foliis ad eas tuendas. Si enim demantur, uvæ aut à fervido Sole exurentur; aut à pluviâ nimiâ putreſient; aut à pruinâ enecabuntur. E. folia data ſunt vitibus ad præſidium uvarum tenerarum. Quanquam ſecus videtur Scaligero, qui Exerc. 178. ſ. 3. ait, *Folia ad decorem & ſpectaculum ſunt, non ad præſidium.*

Proprii habitus potentiarum animæ ſunt propter operationem. Nam ad hoc relinquuntur in potentiâ, ex vi præcedentium actuum, ut illam facilem reddant ad ſimiles actus. Aliàs enim ſupervacanei eſſent habitus. Suarez 14. Metaphyſ. diſput. ſect. 5. n. 1.

Sic Ariſtoteles probat, *Venas eſſe ſanguinis gratiâ, tanquam ejus vas & conceptaculum.* 2. de part. animal. c. 5.

II.

II.

Ab aptitudine, vel utilitate medii ad finem. *Num hoc fini proposito aptum, & utile sit, annon?*

Can. Refut.

1 *Medium est aptum & utile fini.*

Vel, *Quod tendit in aliquem finem, habet aptitudinem seu proportionem ad finem. Nihil enim tendit in finem non proportionatum.* Uti docent Scholastici.

Ex. Refut.

Pyramides Ægyptiæ non sunt idoneæ, & proportionatæ ad condendas fruges, tanquam horrea; quia nimis angustæ sunt intus. *Quare non fuerunt conditæ ad fruges conservandas.* Ut opinati sunt quidam illas ad eum finem à Josepho conditas fuisse.

Boum ipsa terga declarant, non esse ad onus accipiendum figurata. Cic. de nat. Deor.

Can. Confirm.

2 *Quod suâ naturâ utile est ad aliquid efficiendum, propter illud esse videtur.*

Ex. Confirm.

Inscribunt Philosophi sua nomina libris quos de contemnendâ gloriâ conscribunt. E. id faciunt, ut inde gloriam sibi comparent.

Si consideret aliquis universam Mundi administrationem, intelliget profecto, quàm vera sit sententia Stoicorum; qui aiunt, nostrâ causâ Mundum esse constructum. Omnia enim quibus constat, quæque generat ex se Mundus, ad utilitatem hominis accommodata sunt. Lactantius lib. de ira Dei 15.

Homo linguam absolutam, mollissimam, & latam, præcipuè

præcipuè habet, ut commoda ad utrumque officium sit: hoc est, ad sapores percipiendos, & ad literas exprimendas, & sermonem. Nam ad ea lingua mollis, lata, & absoluta accommodatior est. Aristot. 2. de part. animal. cap. 17.

Boum cervices declarant natas esse ad jugum: tum vires humerorum, & latitudines ad aratra extrahenda. Cic. 2. de nat. Deor.

Non possumus per nos omnia agere. Alius in aliâ re est magis utilis; Iccirco amicitiæ comparantur, ut commune commodum mutuis officiis gubernetur. Cic. orat. pro Roscio Amerin.

Quoniam hunc sexum (muliebrem) custodiæ, ac diligentiæ assignaverit natura, idcirco timidiorem reddidit, quàm virilem. Nam metus plurimùm confert ad diligentiam custodiendi, Columel. lib. 12.

Homo à naturâ præditus est erectâ corporis figurâ, idonea ad intuenda sydera. Igitur natus videtur ad contemplationem corporum cælestium. Quam conclusionem innuit Cic. 1. de legibus, ubi ait, Natura figuram corporis, habilem & aptam ingenio humano dedit: nam quum ceteras animantes abjecisset ad pastum; solum hominem erexit, ad cælíque quasi cognationis, domiciliique pristini conspectum excitavit. Idémque cecinit Ovid. 1. Metam. illis præclaris carminibus,

Pronaque cùm spectent animalia cætera terram,
Os homini sublime dedit, cælúmque tueri
Jussit, & erectos ad sydera tollere vultus.

Itémque Manilius 4. Astron.

——— stetit unus in arce
Erectus capitis, victórque ad sydera mittit
Sydereos oculos, propriúsque aspectat Olympum.

III.

III.

A proportione dignitatis finis ad id cujus est finis. *An hic non satis dignus sit.*

Can. Refut.

Finis debet medio dignitate respondere.

Finis & medium bifariam spectari possunt: uno modo simpliciter secundum suam absolutam entitatem, & naturam: altero, præcisè & relativè, prout finis caussat, & medium ab eâ caussatur. Si illa priore modo accipiantur, caussa finalis interdum est suo medio nobilior, interdum non. Hæc assertio quoad priorem partem liquet, tum aliis in rebus, tum in intuitivâ divinæ naturæ contemplatione: quæ est nostrarum actionum finis, iisque longè præstantior ac divinior. Quoad posteriorem partem patet quotidianis exemplis: ut verbi gratiâ, quum quis gratiâ pecuniæ philosophatur, aut gloriæ caussâ virtuosas operationes exercet, tamen philosophia possessioni pecuniæ, & virtutis actiones gloriæ præstant. Sin autem de fine, & medio, posteriori modo loquamur, finis est nobilior suo medio. Omnis enim caussa est nobilior suo effectu; quia præstantiùs est tribuere esse, quàm accipere, & non pendere ab alio, quàm pendere: at caussare non est aliud, quàm influere esse, & omne quod alicui esse confert, quà ejusmodi, eo nobilius est. Itaque finis, quà finis, est præstantior mediis. Quapropter ait Philosophus, 1.mag. Moral.cap. 2. *In universum, semper id melius est, cujus gratiâ sunt alia.* Et similia dicit 3. Top. c.1. & alibi. Quæ præstantia intelligitur quatenus finis est, & quà media. Attamen debet finis etiam secundum

suam

ſuam abſolutam naturam, medio ſuo dignitate quadantenus reſpondere. Nobiliorum enim rerum, ut Hominis, Solis, &c. nobiliores ſunt fines, & ignobiliorum, ignobiliores. Unde apud autores refutatur finis propoſitus, ſi non ſatis dignus ſit propoſito medio: præſertim in rebus naturalibus.

Ex.Refut.

Nec figura corporis, nec ratio excellens ingenii humani ſignificat ad hanc rem natum hominem, ut frueretur voluptatibus. Cic. 2. de finibus.

Quid mentem traxiſſe polo, quid profuit altum
Erexiſſe caput? pecudum ſi more pererrent
Avia. Claudianus.

Ad altiora quædam (quàm voluptatem) *& magnificentiora, mihi crede, nati ſumus: nec id ex animi ſolùm partibus conſtat,* &c. ut fuſè perſequitur Cic. lib. 2. de finibus.

IV.

A non intentione finis & medii: *An ſine intentione finis propoſiti intenderetur medium propoſitum, nécne.*

Can. Refut. ac Confirm.

1 *Sine fine intento, non intenditur medium.* Vel, *Si finis non expetitur, non appetitur medium.* 2 *Et, Sine quo expetito, quicquam non appetitur, illud iſtius finem eſſe probabile eſt.*

Ex.Refut.

Boni virtutem expetunt ſine appetitu voluptatis. Ergo non expetunt virtutem propter voluptatem.

Ariſtoteles alicubi ratiocinatur, *Voluptatem non eſſe finem*

finem scientiæ, aut contemplationis. Quoniam homines expeterent scientiam, ac contemplationem, etiamsi nullam illis afferret voluptatem.

Ex.Confirm.

Nemo bellum expeteret, nisi victoriam prius expeteret. E. ea est finis belli gerendi.

Mali nisi expeterent malarum rerum voluptatem, non appeterent, nec agerent mala. Quare mala expetunt, & agunt voluptatis gratiâ. Rectè ergo ait Aristoteles 2. Ethic.Nicom.cap.3. Διὰ τὴν ἡδονὴν τὰ φαῦλα πράττομεν. Et Plato similiter voluptatem (sc. malam) malorum escam vocavit.

V.

Ab appetitione finis, & medii. *Num hoc expetito, expetitur hoc medium propositum, nécne?*

Can.Ref.ac Confirm.

1 *Expetito fine, expetitur medium ipsius. 2. Et, Quo expetito, aliud quid deinde expetitur, illud hujus finis est.*

Si modò eorum unum expetatur propter alterum.

Ex.Refut.

Non expetit studium Medicinæ. E. non est ejus propositum fieri Medicum.

Ex Confirm.

Quum expetitur eruditio, expetuntur libri docti. E. eruditio est eorum finis.

VI.

A cessatione appetitionis, finis, & medii.

medii. *Num quum agens cessat expetere finem hunc propositum, cessat etiam expetere medium propositum?*

Can. Refut. ac Confirm.

1 *Quum finis cessat expeti, desinit etiam expetitio medii.* Quatenus illius medium est. 2. *Et, Quo cessante expeti, aliud propterea desinit expeti, illud hujus finis est.*

Ex. Refut.

Desinit expetere gloriam, & tamen justa agit. E. non gloriæ caussâ.

Ex. Confirm.

Quum cessant Senes expetere voluptatem rerum venerearum, desinunt etiam has appetere. E. propter voluptatem expetuntur.

VII.

Ab identitate medii, seu non contrarietate mediorum ejusdem finis. *An finis propositus unius contrarii medii sit finis alterius contrarii medii.*

Can. Refut.

Idem non potest esse finis contrariorum simul.

Id enim repugnat, nisi fiant in diversis subjectis: quâ

quâ ratione contraria non sunt. At successivè potest una eadémque res esse finis contrariorum.

Ex.Refut.

Natura non intendit producere monstrum; Quia nititur effectum producere similem, sine errore, & vitio.

Homo à naturâ factus est ad virtutem. E. non est natus ut esset animal fallax, quod repugnat virtuti. Itaque hallucinatur Cardanus, qui talem hominis finem commentus est, ut suprà dictum est.

——— *Eutrapelus cuicunque nocere volebat*
Vestimenta dabat pretiosa. Uti ait Horat. *Non igitur dedit ut illi prodesset.*

§.3. Quæ finis, quâ expetitus, & quà finis, tribuit medio.

I.

A tributione amabilitatis seu appetibilitatis medio. ***An hoc ametur seu appetatur propter finem propositum, nécne.***

Can Refut.

1 ***Finis conciliat amorem.***

Sive, *Media amantur & appetuntur propter finem.* Et finis facit ut etiam ea amentur & expetantur, quæ per se, & suâ naturâ, ingrata & odiosa sunt. Ut amarissima potio ab ægroto libenter ebibitur, sanitatis gratiâ: & eruditionis consequendæ caussâ, asperi studiorum labores libenter suscipiuntur & dulcescunt.

Ex.Refut.

Boni non expetunt bonas actiones propter voluptatem, sed propter honestatem. Non ergo illas agunt voluptatis gratiâ.

Multa

Multa condimenta ciborum non expetuntur propter ſanitatem, ſed propter voluptatem guſtus. E. *ſanitas non eſt eorum finis.*

Can. Confirm.

2 ***Quod alicui rei appetibilitatem tribuit, eſt ejus finis.***

Sive, *Propter quod aliquid expetitur, illud illius finis eſt.*

Ex. Confirm.

Studia amantur propter eruditionem. F. hæc eſt illorum finis.

Divitiæ expetuntur propter uſus vitæ neceſſarios. Hi ergo illarum finis ſunt.

II.

A tributione modi ac menſuræ mediis. *An propoſitus propoſito, illa tribuat, annon.*

Can. Refut.

1 ***Finis dat medio modum ac menſuram.***

Finaliter quidem, non efficienter, aut ut efficiens. Ariſt. 1. Polit. cap. 6. ait, *In fine non eſt modus, aut menſura: media menſuram, ac modum accipiunt ex fine.* Quò pertinet illud Galeni: *Quid in quâque arte proprium ſit, quid alienum, finis oſtendit.*

Ex. Refut.

Gloria non præſcribit modum, aut menſuram ſapientis actionibus. E. non earum finis.

Syllogiſmus non tribuit modum ac menſuram univerſæ arti Logicæ. Quare non eſt ejus finis, ut quidam aſſerunt.

Can.

Can. Confirm.

2 *Quod rei tribuit modum ac mensuram, ejus finis est.*

Aristot. 2. de Cœlo context. 74. idem docet, inquiens, *Quod determinatur, medium est, quod determinat, finis est.*

Ex. Confirm.

Ratione rectè uti, tribuit modum ac mensuram arti Logicæ. E. est ejus finis.

Bene numerare, determinat præcepta Arithmetica: itémque bene mensurare, Geometriæ. E. illud illius, & hoc hujus finis est.

Victoria præscribit modum ac mensuram exercitui; & sanitas restituenda, medicamentis. E.

Artic. III.

Loci ab affectionibus finis producti.

§. 1.

Quid, & qualis sit finis productus.

I.

Maximè inter omnes finis Locos respicere oportet ad propriam rei destinatæ operationem seu actionem. *Et, videre, num rei finis quem examinamus, sit ejus propria operatio, nécne.*

Can. Refut.

1 *Finis rei est sua operatio.*

Nisi eum sequatur opus aliquod: tunc enim id opus finis est. Vel, *Quorum actio est, & non opus, ea sunt propter actionem: & quorum opus, propter opus.* Arist.

Arist. 1. mag. Moral. cap. 4. inquit, ὧν ἕξεις, καὶ χρῆσις, ἡ χρῆσις, καὶ ἡ ἐνέργεια, τέλος: *Quorum habitus usúsque est, usus & actio finis.* Et 2. de Cœlo cap. 3. context. 17. Ἕκαστον ὧν ἔργον, ἐστὶν ἕνεκα τοῦ ἔργου: *Unumquodque eorum quorum est opus, est propter illud opus.* Prius axioma Scholastici hisce verbis formant: *Unumquodque est propter suam operationem, tanquam finem.* Recentiores aliquot idem sic efferunt: *Unumquodque est gratiâ suæ operationis.* Per operationem autem in Canone intelligitur non semper operatio propriè dicta, sed quivis usus, vel actus ad quem res aliqua ordinatur: sicuti finis materiæ est sustentatio formæ; & finis domus, est inhabitatio, vel conservatio hominum, & rerum domesticarum: & contemplatio est operatio mentis. Quæ tamen dicuntur operationes non propriâ, sed latiori significatione. Quinetiam unius operationis, sæpe datur alia, quæ sit finis illius: veluti citharizatio est propter delectationem; & locutio, ut alius nostri animi sensum percipiat. Thomas 1. part. q. 65. art. 2. & q. 105. art. 5. & alibi, cum aliis Scholasticis utrumque Canonem suprà traditum passim, sic conjungit: *Finis cujuslibet rei, est operatio ejus propria, vel ad quod per eam venit.* Ex eis quæ suprà dicta sunt, constat, finem aliquando esse operationem: ut scientiæ finis est contemplatio; & moralis philosophiæ, actio virtutis: quandoque esse opus, quod operationem sequitur, & per illam producitur: ut ædificationis, domus. Attamen operis usus, seu operatio sequens, est finis operis: ut domus, inhabitatio. Cæterùm, Canon traditus est de fine *Cujus*, non de fine *Cui*: qui est objectum, aut subjectum, cui finis *Cujus* acquiritur, vel quæritur: ut Homo est subjectum sanitatis, & felicitatis. At finis *Cui*,

neque eſt actio ſeu operatio, neque fit per illam: ſed ſupponitur potius ad actionem. Porro, quoniam finis eſt rei operatio, vel opus, iccirco finis dicitur cauſſa, & effectus, alio, atque alio reſpectu. Quatenus enim conſideratur, ut ab agente præconceptus, & expetitus, habet vim cauſſæ. Quatenus autem ſpectatur, ut productus, & realiter exiſtens, eatenus eſt effectus. Ut felicitas, quæ definitur ab Ariſtot. 1. Ethic. cap. 6. *actio rationalis animæ:* quæ tamen eadem ab eodem hominis finis dicitur: cap. 1. ejuſdem lib. Itémque 10. Ethic. cap. 7. Sic propria operatio cujuſque partis, tum in homine, tum in quolibet animali, eſt finis ad quem eam partem, tanquam inſtrumentum, natura conſtituit, & inſtituit: idemque cùm productum eſt, eſt effectus.

Ex. Refut.

Voluptas ſenſualis non eſt propria operatio hominis. E. *non eſt finis hominis.* Ut multi opinantur.

Pueri non ſolatii gratiâ diſcunt muſicam. Non enim ſolatur diſcentes. Nam cum labore eſt diſciplina. Ariſt. 8. Polit. cap. 5.

Cerebrum non refrigerat cordis calorem. Non igitur conditum eſt ad calorem cordis efferveſcentem refrigerandum. Ut Ariſtoteles exiſtimavit. Argumentum eſt Galeni fuſiùs explicatum lib. 8. de uſu part.

Folia non ſunt propter floris tuitionem. Flores enim prominent, atque exſtant extra foliorum perpendiculum. Ubi Scaliger innuere videtur, quòd proinde folia non tueantur flores. Exercitat. 177. ſect. 3.

Can. Confirm.

2 *Quod eſt propria rei operatio, eſt ejus finis.*

Niſi operatio producat opus: quod ejus finis eſt.

Ex. Confirm.

Quorum habitus, uſúſque eſt, uſus & actio finis eſt.

Atqui

Atqui animæ virtus est habitus, & actio & usus ipsius. I. finis ipsius, actio usúsque fuerit. Arist. 1. mag. moral. cap. 4.

Non essendi caussâ solùm, verùm etiam bene essendi, mas & fœmina ope mutuâ conjunguntur; filiósque procreant, non solùm ut id naturæ tributum ferant; verùm etiam ut commoda exinde suscipiant. Valentes enim ipsi, imbecilles suo labore tuentur, & alunt; mox imbecilles ob senium facti, à valentibus eadem reportant. Aristot. 1. Oeconom. cap. 3.

Medicina sanitatem servat, præservat, restituit. Hi igitur Medicinæ fines sunt. Unde à quibusdam definitur ars sanitatis, servandæ, præservandæ, restituendæ. Quam definitionem mirificè commendat Averroes.

Nos ab initio spectasse otium, nec quicquam aliud à libertate communi quæsisse, exitus declarat. Brutus & Cassius epist. M. Antonio lib. 10. epist. familiar. Cic.

Folia in fructiferis arboribus teneros fructus protegunt & tuentur à Solis ardore, ab imbribus, & à pruinâ. E. ad eorum præsidium à naturâ comparata sunt. Contra opinionem Scaligeri, qui Exercitat. 178. sect. 3. scribit, *Folia ad decorem & spectaculum sunt, non ad præsidium.*

Sic à propriis actionibus probari ac judicari possunt illi fines veri esse, quos solùm declarat Cic. 2. de nat. Deor. ubi ait, *Equus vehendi caussâ; arandi, bos; venandi, atque custodiendi, canis; homo autem ortus ad Mundum contemplandum.*

Sol Mundum illuminat, ac res generat ac conservat; pluvia solum irrigat ac fœcundat; ventus motu aerem tuetur à putredine; itémque æstus marinus, mare; homo rerum naturam contemplatur, atque virtutis actiones exercet. Hæ igitur operationes illarum rerum fines sunt.

Ad eundem modum Aristoteles probare solet fines partium animalium, ex propriis earum actionibus: lib. de

part. animal. Itidémque Galenus, *partium humani corporis*, lib. de usu part.

Atque hic Locus omnium Locorum Finis, præstantissimus atque utilissimus est. Quapropter plura ad eum illustrandum exempla congessimus. Qui locus ab omnibus ferè Logicis in suis Canonibus turpiter præteritus est.

§. 2.

Qualis sit finis productus.

I.

A non existentiâ medii, ac finis producti. *Num sine illo hoc existat, annon.*

Can. Refut.

Si medium non existit, non producitur finis.

Vel, *Si ea quæ sunt propter finem, non existunt, nec finis existit.* Si enim finis existere potest, non existentibus illis, quæ sunt ad finem; frustra per hujusmodi media quæritur finis.

Ex. Refut.

Flores datos ob fructum, vel semen, tam falsa, quàm vulgata sententia. Nam & fructus sine flore, Oleæ, Ficui, Quercui; & flos sine fructu, Iridi, Jesemino Narcissi speciei. Scaliger Exercitat. 178. s. 2.

Iræ caussam finalem omnino falsam Vives statuit, tributam ait homini ad appetitum excellentium rerum; ut cùm videat se, ac doleat, ob viles, abjectásque actiones rejici, ac contemni, det operam ut se ab illis vindicet, transferátque ad præclaras, quæ contemni jure non possint. At hoc sine ullâ irâ fieri potest, à pænitentiâ, pudore, castigatione, aliis. Scalig. Exercitat. 313.

Can.

Can. Confirm.

2 *Sine quo existente quicquam existere non poteſt, hoc illius finis eſt.*

Non arbitror hunc Canonem prætermittendum: quandoquidem probati auctores ex eo haud rarò argumenta petunt. Attamen multa hîc excipienda videntur, ut illud ſine quo, non ſit materia, aut forma, aut ſubjectum, aut objectum, aut locus, aut tempus. Aut aliqua limitatio excogitanda eſt. Scaliger tamen Exercitat. 250. ſ. 3. Canonem tradit univerſaliter ſine limitatione, aut exceptione, dum ait, *Sine quo quicquam exiſtere non poteſt in Naturâ, id eſt illi neceſſarium, atque propter illud factum.* Atque inde probat, *muſcam factam eſſe propter hirundinem; quia ſine muſcâ, non poteſt hirundo vivere.*

Ex. Confirm.

Sine ſexu maris ac fœminæ, animantium genera nequaquam permanerent, ſed brevi perirent. E. uterque ſexus à naturâ factus & comparatus eſt ad ſpeciem animalis conſervandam.

Niſi affectus ineſſent animalibus, ea non ſatis excitarentur ad bona ſua perſequenda, & mala fugienda. Propter hæc igitur affectus utiliter à naturâ inditi ſunt animalibus.

Contra Stoicorum dogma.

Niſi oculi eſſent rotundi, non poſſent rerum magnitudines demonſtrare, nec aliquid percipere niſi æquale ſibi: ut demonſtrant Optici. **E.** *facti ſunt rotundi ut magnitudines meliùs percipiant.*

Genus unguium, gratia ejus quod eſt melius, videtur factum: quum abſque illis manus apprehendere poſſent; at non æquè feliciter. Galen. 1. de uſu part. Attamen Ariſtoteli ſecus videtur, qui 4. de part. animal. c. 10. ſcribit, *Ungues natura cæteris animalibus, ad uſum alium dedit: homini autem operimenti tantùm gratiâ excogitavit:*

tavit: digitos enim extremos integunt, & tuentur. Quod minùs probandum videtur.

Sine historiâ, memoria rerum gestarum diu conservari nequeat, sed brevi extingueretur. E. historia ad earum memoriam conservandam conscripta est.

II.

Ab existentiâ medii, ac finis producti. *Num illo existente, hoc existat, nécne.*

Can. Refut.

1 *Existente medio, existit finis.*

Sive, *Posito medio in executione, producitur finis.* Quia *Frustra est, quod ordinatur ad finem, quem non attingit,* Valet Canon in divinis ac naturalibus necessariò. quia Deus, & natura nihil faciunt frustra. Ut multis in locis inculcat Aristoteles. In humanis autem actionibus sæpe fallit, & probabilis est duntaxat.

Ex. Refut.

Sensus inest quibusdam animalibus, quæ nunquam loco moventur, sed ibidem permanent. Quare sensus non est datus animali ad motum localem.

Nego stirpibus data folia propter floris tuitionem: quia folia sunt in plantis, quæ vel florem, vel fructum ferunt nullum. Non igitur essent folia, si frustrarentur suo fine. Propter finem enim forma est, sicut per formam finis. Natura enim nihil frustra: At frustra faceret folia in plantis, quæ non ferunt florem, si propter florem folia faceret. Scaliger Exercitat. 177. ſ. 3.

Can. Confirm.

2 *Quo existente, necessariò producitur aliquod*

aliquod bonum, hoc est, aut videtur esse illius finis.

Hic Canon in naturalibus magis valet, quàm in humanis.

Ex. Confirm.

Conscriptâ rerum gestarum historiâ, earum memoria conservatur. Is ergo est historiæ finis. Proximus quidem.

Foliis in vite existentibus, proteguntur ac defenduntur teneræ uvæ, ne exurantur ab ardore Solis, neu à pruinâ enecentur, néve ab immodicis pluviis vitientur. Itaque folia viti data sunt ad teneras uvas tuendas.

III.

Ab ordine executionis medii, ac finis producti. *Sitne hic illo in productione posterior, ánnon.*

Can. Refut.

1 *Finis est posterior Medio, in executione.*

Ex. Refut.

Cognitio virtutis prior est virtute, in executione. E. virtus non est propter cognitionem.

Folia non sunt ad tuendos flores. Pruni enim, atque Amygdali, aliæque arbores, flores fundunt quàm frondes priùs. Scaliger Exercitat. 177. sect. 3.

Can. Confirm.

2 *Posterius in executione, est finis prioris.*

In iis, quorum unum ordinatur ad alterum: sive quæ habent inter se dependentiam.

Ex. Confirm.

Felicitas generatione posterior est virtute. E. est ejus finis.

Elementorum materiam esse similarium partium gratiâ, necesse est: Sunt enim posteriores illis generatione. Aristot. 2. de part. animal. cap. 1.

Nonnulli Theologi argumentantur, *Hominem esse finem propter quem cæteræ in Mundo creaturæ condita sint, quoniam homo postremò à Deo conditus est.* 1. Gen. vers. 26.

IV.

A sublatione medii, ac finis producti. *Illo sublato, an finis propositus cessat produci, nécne?*

Can. Refut.

1 *Medio sublato cessat productio finis.*

Vel, *Finis tollitur.* Si modò ille finis sit actio, non opus. Opus enim factum permanere potest, dum sua materia, & forma simul constant. Ut domus permanet, etiam sublatis ejus mediis, ut fabro, & instrumentis ædificandi.

Ex. Refut.

Remotâ Lunâ, i.e. in altero hemisphærio versante, mare tamen in nostro hæmisphærio nihilominùs fluit, ac refluit. E. Luna non à naturâ ordinatur ad marinos æstus concitandos.

Detractâ cute, non tollitur sensus tactus. Nervi enim interiores nihilominùs sentiunt tangendo. *Quare cutis non est data tactus caussâ absolutè*, ut nonnullis videtur, quanquam inservire possit ad commodiùs tangendum.

Si Solis motus cessabit, tamen Sol non cessabit calefacere. Non ergo motus Soli datus est calefactionis gratiâ. Sed ad lumen suum, & virtutem ad alios, atque alios locos circumferendam.

Can.

Can. Confirm.

2 *Quo remoto seu sublato, aliquid bonum necessariò cessat produci, hoc illius finis est.*

Canon certior est in rebus naturalibus, quàm in humanis.

Ex. Confirm.

Nulla potest esse vitæ jucunditas sublatâ amicitiâ. Iccirco ea comparata est ad jucundè vivendum.

Si Sol è Mundo tolleretur, cessaret illuminatio, ac calefactio, & rerum generatio, ac conservatio. Is igitur horum caussâ conditus est.

Pinnulæ piscibus datæ sunt, & lati pedes avibus aquatilibus, ad nandum. Si enim vel piscium pinnula, vel avium pedibus interjecta cutis destruatur, nare non poterunt. Aristot. 4. de part. animal. cap. 12.

§. 3. Quæ finis productus tribuat agenti.

I.

A tributione perfectionis agenti.

Num hic huic eam tribuat, ánnon.

Can. Refut.

Finis tribuit perfectionem ei cujus finis est.

Vel, *Finis acquisitus perficit agens, & actionem:* Scaliger Exercitat. 258. *Finis*, inquit, *est ejus cujus finis est perfectio. Quæ perfectio si in actione consistit, in eo residet, cujus actio est. Si in passione, ab eo transit in illud, cujus est passio.*

Ex. Refut.

Cognitio artis non perficit artificem. E. cognitio non est ejus finis.

Virtus non perficit hominem, Sed actio virtutis. E. *virtus non est ejus finis.*

Can. Confirm.

2 *Quod acquisitum perficit aliquid, est ejus finis.*

Vel, *Quod est rei perfectio, est ejusdem finis.*

Ex. Confirm.

Veri contemplatio, & virtutis actio hominem perficiunt. E. sunt ejus fines.

Bonum publicum acquisitum remp. perficit. Illud ergo est reip. finis.

II.

Ab expletione appetitus agentis.

Num hoc obtentum eum expleat, nécne.

Can. Refut. ac Confirm.

1 *Finis acquisitus explet appetitum agentis.* 2 *Et, Quod acquisitum explet alicujus appetitum, id est ejusdem finis.*

Ex. Refut.

Artis cognitio non explet appetitum artificis. E. non est ejus finis.

Gloriæ, vel lucri spes, non explet studiosi, aut eruditi desiderium. E. non est ejus finis. Itaque non satis rem perpendebat doctissimus Rodolphus Agricola, qui 1. de invent. Dialect. c. 5. inquit, *Ejus qui studet, potest etiam quidem finis esse eruditio; sed fortassis est, vel gloriæ, vel lucri spes.*

Ex. Confirm.

Actio virtutis explet desiderium hominis. Ea igitur est finis & felicitas ipsius.

Medicus quum ægrum ſanarit, expletur deſiderium ipſius. E. ſanatio ægri fuit finis quem Medicus expetivit.

III.

A ceſſatione operationis agentis.

Acquiſito hoc fine propoſito, utrum ceſſet operatio agentis, ánnon.

Can. Ref. ac Confirm.

1 ***Fine obtento, agens ceſſat ab operatione.***

Non quidem ſemper ab omni operatione, ſed ab ea quam egit propter eam rem. Et finis quietat agens, non quà intentus, & quà finis eſt, ſed quà productus, & quà effectus eſt.

2 ***Et, Quo acqriſito, ceſſat operatio agentis, circa eam rem, id eſt agentis, & operationis finis.***

Intelligitur Canon de totâ re productâ, non de ultimâ parte: ea enim non eſt finis integer propter quem agens operatur: ut impoſito tecto, ceſſat ædificans ædificare; & tamen tectum non eſt finis cujus gratiâ, niſi partialis: ſed totum ædificium eſt finis totalis.

Ex. Refut.

Medicus non acquieſcit in cognitione artis Medicinæ. E. illa cognitio non eſt Medicinæ, aut Medici finis.

Orator non ſatis habet auditorem docere, aut delectare, ſed perſuadere. E. non eſt ejus finis docere, aut delectare.

Ex. Confirm.

Metaphyſicus acquiſitâ contemplatione Entis, quà Ens, acquieſcit in câ: & Phyſicus pariter in contemplatione corporis

corporis naturalis; & Astronomus corporum cœlestium. E. *illæ contemplationes, sunt earum scientiarum, ac contemplatorum fines.*

Architectus ubi domum ædificarit, ab eâ ædificatione cessat; itémque Imperator ubi plenâ victoriâ potitus fit. Igitur ædificantis & ædificationis finis est domus; & belli, & belligerantis, victoria.

Facto homine, quievit Deus à condendo Mundo, Matth. 12. Luc. 6. *Unde probant Theologi, hominem esse finem propter quem cæteræ creaturæ sunt conditæ.* Idem argumentum extat etiam apud Scaligerum Exercitat. 250. f. 1. *Dico*, inquit, *rerum omnium species propter hominem conditas esse: facto homine, quievit Deus.*

ARTIC. IV.

LOCI FINIS COMPOSITI è duabus ipsius affectionibus.

§. 1. Respectu finis quà intenti.

I.

A finis non intentione, & intentione.

Can. Confirm.

Sine quo intento, quicquam aliud non intenditur; & intento intenditur; hoc est illius finis.

Ex. Confirm.

Antequam quis expetat, seu intendat eruditionem, non intendit studium literarum; sed eâ expetitâ, intendit studere. E. *eruditio est finis ejus studii.*

Sic

Sic probari potest, inhabitationem esse finem domus.

II.

Ab intentione, & cessatione intentionis.

Can. Confirm.

Quo intento, aliud intenditur; & cessante intentione illius, hujus quoque intentio cessat, illud est hujus finis.

Ex. Confirm.

Æger dum expetit sanitatem restituendam, expetit etiam pharmaca: ac sanitate recuperata, desinit pharmaca appetere. E. hæc appetebat illius gratiâ.

Sic Imperator dum expetit victoriam, bellum gerit: ~~E~~ ubi ea potitus … est, acquiescit. E.

III.

A finis non motione, & motione agentis ad agendum.

Can. Confirm.

Quo movente seu alliciente, agens agit; & non movente, non agit; id est actionis finis.

Ex. Conf.

Actionis uteri in propulsando fœtu, finis est ipse usus: utpote quo excitante, agit; non excitante, quiescit Galen. 3. de natural. facultat.

Itémque argumentari licet, à finis motione, & cessatione motionis.

§. 2. Respectu finis producti.

I.

A non existentiâ, & existentiâ medii, ac finis.

Can. Confirm.

Quo non existente, quidpiam non existit; & existente necessariò existit; hoc illius finis est.

Valet Canon magis in naturalibus.

Ex. Confirm.

Quoties cibus non ingeritur, sanguis deficit; quoties ingeritur, augetur; & si alimenta bona assumuntur, sanguis integer est; si prava, vitiosus. Igitur sanguinem alimenti gratia, datum esse animalibus sanguine præditis, apertum ex iis, cæterísq; ejusmodi rationibus est. Aristot. 2. de part. animal. cap. 3.

Ut manus omnes figuras, atque omnes ferè eas magnitudines, quas movere homo potest, probè apprehendat, multiformiter dividi manum fuit melius. Nam si indivisa mansisset, contingere tantummodo sibi æqualem corporis cujusque admoti magnitudinem posset. At in multas partes divisa, moles seipsa multo majores facilè amplectitur; & minimas quasque res exactè etiam venatur, colligitque. Galen. 1. de usu part.

Can. Refut.

Ex hoc ipso loco composito, etiam refellitur finis, juxta hunc Canonem.

Sine quo existente aliquod aliquando existit; & existente, non existit; hoc non est illius finis.

Ex. Refut.

Caussa cœlestis motus est, ut vires suas astra cum subjectis

jectis partibus aliis, atque aliis, communicent, non ut calefaciant. Multa namque non mota, calida; ut sulphureæ venæ, ut quædam alia metallica; quæ operarum pedes urunt, soleas comminuunt. Multa mota, non calida: ut fluvii. Scaliger Exercitat. 23. f. 1.

II.

Ab existentiâ, & sublatione medii, ac finis producti.

Can. Confirm.

Quo existente quidpiam necessariò existit; & sublato, tollitur; hoc illius finis est.

Ex. Confirm.

Virtute acquisitâ, homo bene beatéque vivit: at illâ sublatâ, tollitur vita beata. E. virtus homini data est ut bene beatéque vivat.

§. 3. Respectu ordinis finis ad medium, in intentione, & productione.

I.

Ab ordine finis ad medium, in intentione, & productione.

Can. Confirm.

Quod est re aliquâ prius, in intentione agentis, & posterius, in productione, ejusdem finis est.

Vel, *Quorum unum ab agente priùs expetitur: & posteriùs producitur, id alterius finis est.* Si modò eorum unum ordinetur ad alterum. Vulgatum axioma

est,

est, Finis est prius medio in intentione; & posterius, in executione.

Ex. Confirm.

Felicitas activa, quæ est virtutis actio, priùs expetitur, & posteriùs producitur, quàm virtus. Quare ea est finis virtutis.

Contemplatio corporum naturalium, prior est scientia naturæ, in intentione Physiologi, & posterior in acquisitione. E. ea est finis philosophiæ naturalis.

Ex hoc eodem Loco composito, sicubi opus erit, licet finem falsum validiùs refellere. Finis enim est prior medio, in intentione; & posterior, in executione. ut antè dictum.

Hactenus de Examine Finis ex ipsius Affectionibus.

SECTIO II.

LOCI FINIS A COGNATIS Finibus. Vel, *à Cognatis Finis.*

Articulus I. Loci à finibus superiorum.

I.

A fine Generis, vel generalis destinati. *An finis propositus sit finis omnium, an nullius ejusdem generis.*

Can. Refut. ac Confirm.

1 *Quod non est finis ullius alicujus generis*

generis, non est finis speciei, nec singularis ejusdem generis.

2 Et, Finis rei generalis est etiam generalis finis rei specialis, & singularis cujusque sub eâdem contentæ.

Omnia namque quæ sunt unius generis, conveniunt in communi fine illius generis. Attamen diversarum specierum, diversi sunt fines speciales, & singularium singulares.

Ex. Refut.

Actio, nullius scientiæ finis est. At bene videre, est actio: & Optica est scientia. E. id non est finis Opticæ. Quare ea perperam definitur à multis Opticis, *Scientia bene videndi.*

Non est in agendis finis, singula contemplari, ac cognoscere: sed potiùs ipsa agere. Neque igitur de virtute satis est, ut eam sciamus; sed ut ipsam teneamus, eâque utamur, est enitendum. Aristot. 10.Ethic.Nicom.cap. 9.context. 1.

Natura nullam rem luxuriæ gratiâ fecit. Neque igitur specula naturalia. Quod idem argumentum à Seneca fusiùs explicatur, hisce verbis: *Quid sibi rerum natura voluit, quòd cùm vera corpora dedisset, etiam simulacra eorum aspici voluit? Quorsum pertinuit hanc comparare materiam imaginum potentem? Non in hoc scilicet, ut ad speculum barbam, faciémque velleremus; aut ut faciem viri poliremus. In nulla re, illa negotium luxuriæ concessit.* Lib. 1. nat. quæst. cap. 17.

Ex. Confirm.

Omnis virtutis finis est moderatè agere. E. & fortitudinis.

Artis in genere finis est εὐπραξία, *i.e. bene agere: igitur sua Logicæ* εὐπραξία, *suus finis est, i. e. bene ratione uti.*

Cùm

Cùm omnium artium finis sit, quod natura maxime quærat; idem statui debet de totius arte vitæ. Cic.4. de fin.

Propter hominem Mundus factus est. Quando & habitatio, & cibi, & alia, propter animalia. Animalium autem princeps homo. Scaliger Exercitat.256.ſ.1.

I.

A fine Speciei ad finem singularis.

Num hic sit finis speciei, an nullius illius speciei?

Can.Refut.ac Confirm.

1 ***Quod nullius sub aliquâ specie finis est, non est finis singularis ejusdem speciei.***

2 ***Et, Fnis speciei, est etiam finis cujusvis singularis ejusdem.***

Ex. Refut.

Homo non est conditus sensualis voluptatis gratiâ. E. ego non sum natus ad eam.

Ex. Confirm.

Homo conditus est propter Dei gloriam. E. Tu ipse ad eam natus es.

Homines mala agunt voluptatis gratiâ. Ego igitur mala ago propter eundem finem.

Artic. II. Loci à finibus inferiorum.

I.

A fine speciei ad finem sui generis.

An finis generis propositus sit finis omnium ipsius specierum, annon alicujus.

Can.

Can. Refut. ac Confirm.

1 *Quod cujuſdam ſpeciei non eſt finis, neque eſt finis ſui generis.*

2 *Et, Finis omnium ſpecierum unius generis, eſt finis ejuſdem generis.*

Ex. Refut.

Temperantia non eſt cognitionis gratiâ. E. *neque virtutis moralis finis, eſt cognitio.*

Veritatis hoſtes, eos appellat Scaliger, qui volunt ad hominis uſum facta omnia. Quam enim, inquit, ex pulicibus, quam ex cimicibus homo utilitatem percipit? Ridiculum profectò eſt, ait idem, dicere: pulices creatos ad inutilem hominis ſanguinem ſugendum: cimices, ut noctu ex importuno ſomno excitent nos ad preces fundendas. Quod ipſius argumentum ſive verum ſit, ſive falſum, tamen exemplo eſſe poteſt ad Canònis uſum illuſtrandum.

Ex. Confirm.

Hominem natum eſſe ad omnia regenda, inductione probatur à Manilio lib. 4. Aſtron. dum canit,

Hic partus, qui cuncta regat: ſeceſſit in Orbem;
Et domuit terram ad fruges; animalia cepit;
Impoſuitque viam ponto, &c.

Sic à finibus ſpecierum comprobatur, omnia condita eſſe propter hominis utilitatem: alia quidem animantia, ut inſerviant nobis ad cibum, & veſtitum; ut, lanigeri greges; & boves, vaccæ, cervi: alia ad onera ferenda; ut, elephantes, equi, cameli, aſini, Americanæ, beſtiæ quas lamas vocant: alia ad oblectationem oculorum; ut, Manucodiata, quã etiam Paradiſi avem vocant, pavones, pſittaci, aliaque pulchræ aves: alia, ad voluptatem aurium; ut aviculæ cantatrices. Conſimiliter, multi fructus, & herbæ inſerviunt homini ad cibum; aliæ plantæ

ad

adblandiuntur oculis, & odoratui, suâ pulchritidine, & suaveolentiâ; ut, rosæ, violæ, aliique flores; aliæ inserviunt ad medicinam, & ad confortandos spiritus cerebri. Quis autem omnes enumeret utilitates avium, ferarum, piscium, arborum, metallorum, &c. Quas fusè persequuntur Ambrosius, & Damascenus, ad comprobandum omnia ad hominis utilitatem condita esse. Quem finem agnoscit etiam Aristoteles 1. Polit. cap. 5. ubi ait, *Existimandum est, plantas animalium esse gratiâ; & cætera animalia, hominum caussâ: mansueta, quidem, propter utilitatem, & cibum: fera (etsi non omnia, at plurima illorum) propter cibum, & alia adjumenta; ut, & vestis, ac cætera instrumenta ex illis fiant. Si igitur natura nihil, neque imperfectum facit, neque frustra, manifestum est, illa omnia hominum gratiâ, fecisse naturam.*

Idémque philosophus in calce lib. de anima, *probat inductione specierum, reliquos sensus præter tactum, habere animal, non ut sit; sed ut bene sit: ut puta, aspectum, quia in aëre, & aquâ versatur, ut videat; & omnino, quia in pellucido versatur: gustum autem, propter jucundum, & molestum; ut sentiat quod est in alimento, & cupiat, & moveatur: auditum verò ut aliud ipsi aliquid significet; linguã autem, ut significet aliquid alteri.*

Sic quòd divina bonitas sit finis omnium corporalium longâ inductione disseritur, à Thoma 1. p. qu. 65. art. 2. *à finibus specierum.* Contra Origenem, qui perperam existimavit, creaturam corporalem, non esse factam ex primâ Dei intentione: sed ad pœnam creaturæ spiritualis peccantis.

II.

A finibus singularium ad finem speciei illorum. ***Num propositus finis specialis,***

cialis, sit finis omnium singularium illius speciei, annon alicujus.

Can. Refut. ac Confirm.

1 *Quod alicujus singularis non est finis, neque finis erit speciei illius.* 2 *Et, Finis omnium singularium unius speciei, finis est ejusdem speciei.*

Ex. Refut.

Socrates virtutem coluit, non ob voluptatem, sed ob honestatem. Non ergo boni virtutem colunt, voluptatis gratiâ.

Cato, uti refert Velleius, *nunquam rectè fecit, ut facere videretur. Justi igitur non justè faciunt, ut facere videantur.*

Ex. Confirm.

Homines mala agunt propter voluptatem. Quod quotidianis exemplis conspicimus in intemperantibus; ut voracibus, ebriosis, libidinosis, &c.

Historia Thucydidis, Livii, & cæterorum, conscripta est, ut rerum memoria conservetur, & prudentia inde hauriatur. Hi ergo sunt historiæ fines. Loquor de historiâ practicâ, seu rerum gestarum.

Artic. III. Loci à fine Totius, ac Partium.

I.

A fine Totius ad finem Partis. *Num finis partis propositus, sit finis totius ejusdem.*

Can. Confirm.

Finis totius est etiam finis cujusque partis ejusdem. Ut

Ut totalis quidem finis, non partialis.

Ex. Confirm.

Universus Mundus conditus est ad hominis utilitatem. E. etiam venenosi serpentes, & herbæ: nam & illa sunt partes Mundi.

Seneca de Sole, & Lunâ loquens, *Cùm in hoc moveantur, ait, ut universa conservent; & pro me moventur: universorum enim pars sum.*

II.

A fine Partis, ad finem Totius. *An propositus totius finis, cunctarum partium ipsius, an cujusdam.*

Can. Refut. ac Confirm.

1 *Quod cujusdam partis non est finis, id neque est finis totius.* 2 *Et finis partium omnium est finis totius earum.*

Ex. Refut.

Curare morbos, non est finis Hygieinæ, sive doctrinæ de sanitate tuendâ, quæ est pars Medicinæ. E. id non est finis totius artis Medicinæ. Ut vulgus existimat.

Ex. Confirm.

Unaquæque pars animalis est propter aliquam animæ operationem. E. etiam universum corpus est propter animæ operationes.

Singula quæque præcepta Logica tradita sunt, ut bene utamur ratione. E. is finis est totius Logicæ.

Artic. IV. A Contrario, vel, à fine contrarii. *An hujus destinati contrarium sit propter contrarium alterum finem, annon.*

Can. Refut. ac Confirm.

Contrariorum finès sunt contrarii.* 1 *Itaque, si unum eorum non est propter unum finem, neque alterum erit propter alterum.* 2 *Et, Si unum contrarium est propter unum finem, alterum quoque erit propter alterum.

Contrariorum autem potest esse unus idémque finis generalis: quoniam in suo genere conveniunt: sed speciales fines sunt contrarii.

Ex. Refut.

Boni bona agunt non propter voluptatem; sed honestatem. E. neque mala fugiunt tam ad dolorem evitandum, quàm propter turpitudinem.

Ex. Confirm.

Calida medicamenta sunt ad frigidos morbos curandos. E. & frigida ad calidos.

Affectus illi qui circa malum versantur, ut, amor, spes, lætitia, &c. à naturâ animali inditi sunt, ut excitetur ad bonum suum persequendum, atque obtinendum. E. è contrario, affectus mali objecti; ut, odium, metus, tristitia, &c. tributi sunt ad malum fugiendum, & evitandum. Itaque utrumque genus animali utile est: contra Stoicorum dogma, qui omnes affectus censuerunt esse vitiosos: ac propterea omnino tollendos.

Artic. V. Loci à Comparatis in Qualitate, & in Probabilitate.

Comparata in Quantitate in Fine examinando, parum, aut nihil utilitatis habere videntur: quapropter eis præter-

prætermißis, trademus tantùm, comparata in Qualitate, & in Probabilitate. Quæ sunt, 1 A Simili. 2 A magis. 3 Minus. 4 & æquè probabili.

I.

A fine rei consimilis. *An hujus simile sit finis alterius similis destinati, nécne.*

Can. Refut. ac Confirm.

Similium similes sunt fines. 1 Itaque, Si similium unum non est finis unius similis destinati, neque alterum erit finis alterius similis. 2 Et, Si unum similium finis est unius rei similis, alterum quoq; erit finis alterius.

Qui Canones probabiles sunt tantùm, non necessarii.

Ex. Refut.

Existimare cerebrum constructum esse, caloris qui cordi inest, refrigerandi gratiâ, (qualis fuit sententia Aristotelis) omnino absurdum videtur: nec absimile, ac si quis dicat, calcaneum cordis caussâ fuisse. Galen. 8. de usu part.

Xerxes cum tantis classibus, tantísque equestribus, & pedestribus copiis, in Græciam transfretavit; non ut mella ex Hymetto afferret: ita nec sapientem putandum est, gravissimis artibus, atque virtutibus instructum, voluptatis caußâ, tanta molitum. Ita contraximus fusissimum argumentum Ciceronis 2. de fin.

Qui putant ob varietatem, non ad certum finem, species à Deo comparatas, nullum alium in iis Naturæ finem proponunt,

proponunt, quàm ineptire. Quasi cùm milites fimbrias addunt sagulis. Aut si quando nos fessi de Philosophiæ salebris, cum Poetis aliquid constituimus. Scaliger Exercitat.250.s.5.

Ex. Confirm.

Quemadmodum homini capilli dati sunt, tum ad præsidium, tum ad ornatum: consimiliter, folia fructiferis arboribus tributa videntur ad similes fines.

Mundus deorum hominúmque caussâ factus est: quæque in eo sunt, ea partita ad fructum hominum, & inventa sunt. Est enim mundus, quasi communis deorum atque hominum domus, aut urbs utrorumque. Cic.2.de nat.deor. ubi fusiùs explicat idem argumentum.

Habent omnia testata caput infrà, plantarum modo: cujus rei caussa (finalis) *est, quòd cibum de imo capiant; ut plantæ radicibus suis hauriunt.* Aristot. 4. de part. animal.cap.7. Idémque probat ossium finem à simili, 2. ejusdem operis cap.9. Et finem sanguinis, à finibus similium: ut, fontis in hortis rigandis, & fundamentorum in structuris: 3.de part.animal. cap.5.

II.

A magis probabili. *An quod verisimilius est, esse finem, non sit finis.*

Can. Refut.

Si quod magis videtur esse finis, non est finis, neque quòd minùs videtur, erit finis.

Ex. Refut.

Verisimilius est, hominem natum esse ad animi voluptatem, quàm corporis. Atqui non ad illam. Nedum ad illam.

Non est Elephanto optimum temperamentum datum, ad vivendum diu; quia esset optimum in Oleâ, aut Palmâ,

aut Ulmo, quæ diutiùs vivunt. Scaliger Exerc. 204. l. 2. ſ. 2.

Idem ſimiliter contra Cardan. probat, *Non eſſe Roſas ſpinis datas, ut odoratiores ſint.* Exercitat. 303. ſect. 7.

Hic Locus non valet ad confirmandum: ideóque non recipit Canonem, aut Exemplum Confirmationis.

III.

A minùs veriſimili. *Num minùs veriſimile, ſit finis.*

Can. Confirm.

Si quod minùs videtur eſſe rei finis, ſit finis, etiam id quod magis videtur, erit finis.

Ex. Confirm.

Apes, formicæ, muſcæ, & cætera animalcula, condita ſunt propter Dei gloriam. Igitur multò magis homines.

Formicæ, apes, ciconiæ, aliorum etiam cauſſâ, quædam faciunt. Multò igitur magis hæc conjunctio eſt hominum: itaque naturâ ſumus apti nati ad cœtus, domicilia, civitates. Cic. de finibus.

Hic autem Locus non valet ad refellendum.

IV.

Ab æquè veriſimili. *Utrùm quod æquè videtur eſſe finis, finis ſit, néc ne.*

Can. Refut. ac Confirm.

1 *Si unum quod æquè videtur eſſe finis, non ſit, neque alterum erit finis.*

2 *Et, Si æquè veriſimilium unum eſt finis, etiam alterum erit finis.*

Ex.

Ex. Refut.

Existimare naturam intendere monstrum, haud minùs absurdum est, quàm putare peritissimum artificem velle facere opus imperfectum, & imperitum. E. natura nunquam operatur, ut producat monstrum.

Tam sunt alia metalla à naturâ instituta, ut ex eis aurum fiat; quàm cæteræ animantes, ut ex eis fiat homo. Scaliger Exercitat. 206. s. 2.

Ex. Confirm.

Inventa est Medicina, ut morbi corporis cognoscantur, & cogniti sanentur. Ac Philosophia pariter reperta est, ut perspiciamus mala animi, iisque liberemur. Plutarchus.

Alexander M. bella gessit, ut imperium, ac gloriam sibi compararet. Itaque Cæsar, Tamerlanes, aliique nihilominus bella gessisse videntur propter eundem finem.

Artic. V. Locus compositus è duobus cognatis.

Subjungemus in calce hujus Caussæ, ac Capitis unum solum locum à duobus cognatis: nimirum,

I.

Ab utroque contrario posito.

Can. Confirm.

Quo posito, aliquod bonum acquiritur, & contrario posito, contrarius effectus producitur; id est finis priùs positi.

Hic Canon, in naturalibus, certus est; in humanis autem probabilis tantùm.

Ex. Confirm.

Mare per æstus suos à putredine conservatur; at si quiesceret,

esceret, citò putresceret. E. *æstus marini finis est, ut mare tueatur à putredine.*

Si Sol eodem loco permaneret, non posset suam lucem, ac calorem ad alias atque alias terrarum regiones circumferre, ac dispertire ; quin etiamsi eadem loca perpetuò aspiceret, nimio æstu ea exureret: at motu & circuitione singulas terrarum orbis partes suâ luce ac calore fovet, & vicissitudine temperat. Propter has igitur utilitates ac commoda, Soli motus datus est.

Sperantia futura bona animalia ea alacriùs persequuntur ; & mala metuentia, ea vehementiùs fugiunt. Quare horum commodorum gratiâ, spes & metus animantibus à naturâ indita sunt.

Cardanus ait, *Hominem nudum creatum esse, ut esset formosior.* Quod approbat Scaliger, & probat, *Quia homines hirti pro fœdis habentur. Iccirco fœminæ glabræ, quarum species & venustas vulgò quæritur.* Exercitat. 255.

Finis Examinis Finis, & Caussarum Extrinsecarum.

Cap.

Cap. IIII.

DE EXAMINE MATERIÆ.

Sectio I.

LOCI A SPECIALIBUS Affectionibus Materiæ.

Articulus I.

Loci à ſpecialibus Materiæ conditionibus prærequiſitis ad cauſſandum materialiter.

EGimus de Cauſſis extrinſecis examinandis : ſequitur Examen Cauſſarum intrinſecarum, ſeu conſtituentium compoſitum : i.e. Materiæ, & Formæ.

LOCI A SPECIALIBUS Materiæ Affectionibus, ſunt,

I. A Conditionibus ejus ad materialem cauſſationem prærequiſitis : ut, 1 *A qualitate.* 2 *Ab aptitudine.* 3 *Ab inexiſtentiâ.* 4 *A ſufficientiâ.*

II. Ab affectionibus materiæ non prærequisitis: ut, 1 *A non positione.* 2 *A sublatione.* 3 *A resolutione compositi in eam permanentem.*

III. Loci compositarum affectionum materiæ sunt, 1 *A similitudine, & præsentiâ cum composito.* 2 *A non positione, & positione cum composito.*

LOCI A COGNATIS MATERIÆ.

I. A Materiæ superioribus: ut, 1 *A Materiâ Generis, aut generalis compositi.* 2 *A materiâ specialis compositi ad materiam singularis.*

II. Ab inferioribus Materiæ: ut, 1 *A speciali materiâ ad generalem.* 2 *A singulari materiâ ad specialem.*

III. A Contrario materiæ.

IV. A Comparatis materiæ in quantitate & qualitate: ut, 1 *A Majori.* 2 *A Minori.* 3 *A Pari.* 4 *A Simili.*

V. A Comparatis in probabilitate: ut, 1 *A materiâ magis probabili.* 2 *A minus probabili.* 3 *Ab æquè verisimili.*

VI. Loci materiæ compositi è binis ipsius

ipſius cognatis: ut, 1 *Ab utrâque contrariâ materiâ poſitâ.* 2 *A materiâ Majoris, & Minoris.*

Locus I.

A Qualitate, ſeu Similitudine materiæ cum compoſito. *Et, An propoſita materia talis ſit, quale hoc compoſitum, nécne.*

Can. Ref. ac Confirm.

1 *Qualis materia, tale compoſitum.*
2 *Et, Si propria qualitas rei ſimplicioris in aliquo compoſito reperitur, illud eſt hujus materia.*

Vel, *Si compoſitum tale eſt, qualis res aliqua ſimplicior propriè & per ſe eſt, hæc eſt illius materia.*

Item, *Si plures rei alicujus qualitates communes in quopiam compoſito inſint, veriſimile eſt illam eſſe hujus materiam.*

Ex. Refut.

Halitus brevi mutantur & diſſolvuntur. At via lactea ſine ullâ mutatione idem ſemper permanet. Non ergo conſtat ex halitibus. Quapropter Averroes, cæteríque Peripatetici de viæ lacteæ materiâ, & genere deſerunt Magiſtri ſui dogma. 1. Meteor. c. 8.

Ariſtotelici diſſerunt Cometas non conſtare ex materiâ cœleſti. Quia cœlum juxta Ariſtotelis ſententiam libb. de Cœlo, *mutationis & alterationis expers eſt. At Cometæ alterantur.*

Ex. Confirm.

Hic nummus quanquam argenteus videtur, olet æs. E. æneus est, & adulterinus.

Materia ventorum Peripateticis, est halitus calidus & siccus. Quia venti plurimum exsiccant.

In calcinationibus & fusionibus metallorum, odor sulphureus percipitur. Unde multi censent ea ex sulphure tanquam materiâ constare.

Fœtum componi ex materno etiam sanguine tanquam materiâ; argumento est, quòd multi matrem suam magis referunt quàm patrem.

II.

Ab aptitudine materiæ, ut ex eâ fiat compositum. *Et, An hæc ad hoc apta sit, an inepta.*

Can. Refut.

Materia debet esse apta, ut ex eâ fiat compositum.

Nihil enim fieri potest ex materiâ ineptâ. Intellige rei naturalis, aut artificialis virtute. Deus autem potest ex quovis, aut ex nihilo quodlibet facere.

Ex. Refut.

Putris materia non est idonea, ut ex eâ fiat homo. E. homo non potest ex eâ generari. Ut Avicenna, aliique Philosophi existimârunt. Consulat qui volet Perer. lib. 8. de princip. c. 16. & Scaligerum 2. de plant. p. 386.

Est Indica arbor, Palmæ genus, quæ Coccus Hispanis vocatur; indigenis Tenga: ex cujus fructus cortice exteriore, ait Cardanus, carbones; ex interiore vestes fieri. Quem Scaliger Exercitat. 158. f. 4. *castigat ab ineptudine materiæ: cùm tota massa extima fructus, nihil aliud sit, quàm filamenta; testa interior, dura.*

III.

III.

Ab inexiſtentiâ in compoſito. *Et, Num hæc in hoc inexiſtat, nécne.*

Can. Ref. ac Confirm.

1 *Materia inexiſtit in ſuo compoſito.*

2 *Et, Ex quo inexiſtente componitur aliquid, id eſt ejus materia.*

Ariſtoteli 2. Phyſ. c. 3. & 4 Metaph. c. 2. definitur materia, *eſſe id ex quo inexiſtente fit aliquid.*

Ex. Refut.

Nullum argentum ineſt in hoc apparente nummo. E. non conſtat ex argento.

Pullus non fit ex vitello. Id enim pullo jam perfecto, extra pullum relinquitur.

Ex. Confirm.

Mundus fit ex Cœlo, elementis, &c. miſtis corporibus, animatis, & inanimatis. E. hæc ſunt Mundi materia.

Templum Dianæ Epheſi ex candido marmore conſtructum fuiſſe, manifeſtum fuit. Quia hoc in eo conſpiciebatur.

IV.

A Sufficientiâ. *Num hoc non ſufficiat ad hoc componendum ex eo.*

Can. Refut.

Materia eſt ſufficiens ad compoſitum.

Si modò ſit integra ipſius materia.

Ex. Refut.

Aquæ pluviales, & nivales in terræ cavernis collectæ, nequaquam ſufficere poſſunt ad aquam fontibus, & fluminibus, per integrum annum ſuppeditandam. Quare illæ non ſunt materia fontium, ac fluviorum perennium. Sicut aliqui

aliqui putârunt. Quos illâ ratione refellit Philosophus 1. Meteor. cap. 10.

Universi halitus terrarum, ac marium, ad viam lacteam nequaquam sufficiant, si ex halitibus constaret, & alerctur. Uti docet Philosophus 1. Meteor. c. 8.

Artic. II. Loci à specialibus materiæ affectionibus, non prærequisitis ad ejus caussationem materialem.

I.

A non positione materiæ. *Num sine hac re positâ, hoc compositum fieret, ánnon.*

Can. Refut. ac Confirm.

1 *Sine materiâ positâ, compositum fieri non potest.* 2 *Et, Sine quo præsente, compositum aliquod non potest fieri, probabile est, id esse materiam ejus.*

Præsertim, si non sit ipsius efficiens, aut forma.

Ex. Refut.

Hoc templum constructum est sine ullo marmore. E. non fit ex marmore.

Crystallus alicubi generatur sine glacie. Ut in Cypro, & nonnullis aliis regionibus calidissimis. *E. non omnis generatur ex glacie, tanquam materiâ.* Ut quidam opinantur.

Ex. Confirm.

Nec sine humore aqueo, nec absque terrâ unctuosâ, & crassiore lapides procreari possunt. Igitur fiunt ex utrisque tanquam materiâ. Sic aliqui Philosophi disputant.

Conim-

Conimbricenſes Philoſophi, aliique arbitrantur Cryſtallum montanam ex nive liquatâ, & deinde glaciatâ conſtare. Quare nullibi (ut ait Plinius) niſi ubi maximè hybernæ nives rigent, reperiuntur.

II.

A ſublatione. *An hoc ſublato, tollitur hoc compoſitum, nécne.*

Can. Refut. ac Confirm.

1 *Sublatâ materiâ, tollitur compoſitum.*

Si modò ſit totalis materia, aut principalis.

2 *Et, Quo ſublato, tollitur compoſitum, id eſt ejus materia.*

Niſi ſit efficiens conſervans, aut forma rei.

Ex. Refut.

Purgato illo humore, tamen non tollitur hic morbus. E. ille non eſt hujus materia.

Aquæ pluviales, aut nivales, non ſunt materia fontium perennium. Quoniam illis diu ceſſantibus, hi fontes tamen perennant.

Ex. Confirm.

Purgatâ bile è corpore, tollitur hic morbus. E. bilis fuit ejus materia.

Materia vel ſubjectum Iridis, eſt nubes concava, rorida, ínque guttulas colliqueſcens. Quod inde probatur, quia quandocunque frigus, aut aliud agens eam nubem condenſare incipit, in aquam verſa dilabitur, & tunc Iris ſimul evaneſcit. Eſt argumentum multorum Philoſophorum.

III.

A reſolutione compoſiti in materiam manentem. *Nam hoc compoſitum in hoc;*

hoc, idque permanens, dissolvatur, an-non.

Can. Refut. ac Confirm.

1 *Si compositum resolvitur, dissolvitur in suam materiam.*

Aristoteles 3. Metaphys. *Omnia,* inquit, *corrumpuntur in ea ex quibus constant.* Et 10. Ethic. Nicom. cap. 3. *In illud dissolvitur unumquodque, ex quo generatur.*

2 *Et, In quod aliquid dissolvitur, & manet post dissolutionem, illud est hujus materia.*

Nisi in dissolutione hominis, id sit anima rationalis: nam ea etiam permanet post hominis dissolutionem, neque tamen est ejus materia, sed forma. Eundem Canonem, Cardanus lib. 1. de subtil. hisce verbis efformat: *Si forma perit, manente aliquo, materiam illud esse necesse est.* Colleg. Conimbric. hunc Canonem tradit: *Unumquodque ex iis conficitur, in quæ dissolvi potest.* ad 2. Phys. c. 2. qu. 2. arg. 7.

Ex. Refut.

Quidam argumentantur, Crystallum non constare ex aquâ. Quia non dissolvi potest in aquam.

Cometæ non conficiuntur ex pluribus stellis concurrentibus, aut appropinquantibus, ut aliqui Philosophi existimârunt. *Non enim dissolvuntur in stellas.*

Ex. Confirm.

Electrum metallum dissolvitur in aurum & argentum; & æs Cyprium, in æs, & ferrum. Unde apparet illa ex istis composita esse.

Scaliger Exercitat. 16 ait: *Quid fateri cogit nos, in mistis elementa permanere? Quia rursus in ea solvuntur.*

Cerebrum esse commune aquæ, & terræ, constat ex eo, quod ei accidit; quum enim coquitur, indurescit, atque siccescit;

ſicceſcit; ut humore exacto à calore, terrena portio relinquatur: quemadmodum in leguminum, reliquorúmque fructuum decoctione: quòd enim ex terrâ, magnâ ex parte conſtant, hinc exacto humore, quem exiguum ſibi admiſtum continent, dura, terrenáque admodum ea relinquuntur. Ariſtot. 2. de part. animal. cap. 7.

Artic. III. Loci materiæ compoſiti ex duabus ipſius affectionibus.

I.

A qualitate, ſeu ſimilitudine materiæ cum compoſito, & præſentiâ cum eodem.

Can. Confirm.

Quod ſimile compoſito adeſt, ubi id ſit, eſt ejus materia. Vel, *Quod tale eſt, quale aliquod compoſitum, & hoc nuſquam fit, niſi ubi illud adſit, id hujus materia eſt.*

Niſi ſit efficiens.

Ex. Confirm.

Materia ventorum Peripateticis, eſt halitus calidus, & ſiccus. Quia venti plurimùm exſiccant; neque generantur, niſi ubi ejuſmodi halitus adſint.

Sic fontes ſalſos ex ſale foſſili conſtare, liquet ex ſalſo ſapore, & præſentiâ ſalinarum.

II.

A non præſentiâ, & præſentiâ materiæ cum compoſito, dum generatur.

Can.

Can. Confirm.

Sine quo præsente, aliquod compositum nunquam fit; & ubi illud adest, fieri solet; id credibile est, esse compositi materiam.

Si non sit caussa efficiens.

Ex. Confirm.

Sine sulphure, sale petræ, & carbone, non potest fieri pulvis pyrius; at eis permistis, fit. E. illa sunt hujus materia.

Gignuntur metalla in fodinis, ubi sulphur & argentum vivum adsunt; nec sine illis unquam generantur E.

Cruditatem vocant doctissimi medici, morborum matrem, i.e. materiam. Quod quidem verum esse, probare possumus, quia qui cruditates coacervant, valetudinarii sunt, & in morbos facilè incidunt: & qui iis vacui sunt (cæteris paribus) bonâ valetudine fruuntur.

Sectio II.

Loci a Cognatis Materiæ.

Artic. I. Loci à Materiæ superioribus: *Vel*, materiis superiorum.

Locus I.

A materiâ Generis, vel generalis compositi. *An proposita materia sit materia omnium, an nullius ejus generalis compositi.*

Can.

Can. Refut.

1 *Quod nullius alicujus generalis compositi materia est, id neque est materia specialis, aut singularis compositi.*

Ex. Refut.

Simplex vapor aqueus non potest esse materia ullius metalli. E. neque auri.

Nulla unquam perfecta animalia generantur ex putri materiâ. Non igitur animalia perfecta quæ in Insulâ Madagascaris, aut in Americâ reperiuntur, ex eâ generata sunt.

Can. Confirm.

2 *Quod est materia generalis compositi, est etiam generalis materia ejusdem specialis, & singularis compositi.*

Ex. Confirm.

Elementa sunt materia omnium corporum mistorum. E. etiam hominis.

Si cruditas est materia omnium morborum. E. etiam hujus morbi quo hic æger laborat.

II.

A materiâ specialis compositi ad materiam singularis. *Num hujusmodi materia sit omnium istius speciei, an nullius.*

Can. Refut.

1 *Quod nullius alicujus speciei materia est, non est materia alicujus singularis ejusdem speciei.*

Ex. Refut.

Aqua pluvialis non potest esse materia ullius fontis perennis. E. neque est hujus fontis, qui perpetuò fluit.

Nullus homo ex putri materiâ, vi naturæ, generari potest. E. neque Americani sic generati sunt.

Can. Confirm.

2 ***Materia speciei, vel omnium unius speciei, est etiam materia sui singularis compositi.***

Ex. Confirm.

Materia electri est aurum & argentum. E. & hujus electri.

Corpus humanum est materia hominis. E. & meum, mei ipsius.

Artic.II. Loci à materiis Inferiorum: ut, Specierum, & Singularium.

I.

A speciali materiâ ad generalem.

An proposita materia alicujus generalis, sit materia omnium specierum ejusdem generis, an nullius.

Can.Refut. ac Confirm.

1 ***Quod non est materia cujusdam speciei, neque est materia generis ipsius.***

2 ***Et, Quod est materia omnium specierum, est etiam materia generis earum.***

Ex.Refut. ac Confirm.

Sol, & Luna non fiunt ex inflammatis nubibus. E. stellæ non fiunt ex illis. Uti opinatus est Xenophanes apud Plutarchum lib. 2. de placit. cap. 13.

Luna non videtur constare ex materiâ quâdam cœlesti, & ab elementari diversâ. E. nec omnes stellæ.

Materia auri, argenti, æris, & reliquorum metallorum est sulphur, & argentum vivum. E. ea sunt materia metalli in genere, vel omnium metallorum.

II.

A singulari materiâ ad specialem.

Si materia specialis examinanda est, videndum an ea sit materia omnium singularium ejus, an nullius.

Can. Refut. ac Confirm.

1 *Quod non est materia alicujus singularis, non est materia speciei ejusdem.*

2 *Et, Quod est materia omnium singularium unius speciei, est materia ejusdem speciei.*

Ex. Refut.

Nullo unquam exemplo compertum fuit, hominem ullum ex putri materiâ ortum fuisse. E. neque species humana sic generari potuit.

Ex. Confirm.

Mures quandoque ex putri materiâ gigni, constat exemplis, & experientiâ in Ægypto: ubi ex Nili limo in agris procreantur.

Artic. III. A contrario materiæ.

I.

An hujus contrarium sit materia contrarii compositi, ánnon.

Can.

Can. Refut. ac Confirm.

1 *Cujus contrarium non est materia unius contrariorum compositorum, id non est materia specialis alterius compositi.* 2 *Et, contrariorum compositorum materiæ speciales sunt contraria.*

Materia quidem, & compositum quod substantia est, per se non habet contrarium: sed per accidens possunt: hoc est, ratione qualitatum, & actionum contrariarum: sic ignis, & aqua contraria sunt ratione caloris, & frigoris; itémque calefactionis, & frigefactionis. Sic halitus calidus, & frigidus; itémq; humidus, & siccus; inter se contrarii sunt; & sunt materiæ contrariorum meteororum, ut igneorum, & aqueorum.

Ex. Refut.

Halitus frigidi, non sunt materia calidorum meteororum. E. neque calidi frigidorum.

Errat Themistius in primo de Animâ: qui dixit, album esse ex ignis permistione cum elemento pellucido. Cinis enim, & ossa, & nix, & ligna putrida, aliáque multa terrea ipsum facilè redarguunt. Scaliger Exercitat. 325. sect. 11.

Ex. Confirm.

Halitus calidi, & sicci, sunt materia meteororum igneorum. E. è contrario, frigidi, & humidi, frigidorum humidorum.

Calida medicamenta composita constant ex calidis materiis. E. & frigida ex frigidis.

Artic. IV. Loci à comparatis materiæ, in quantitate, & qualitate, i.e. 1 A Majori. 2 A Minori. 3 A Pari. 4 A Simili.

I. A

I.

A Majori. *An ubi proposita materia major ponatur, hoc compositum quoque majus fiat, nécne.*

Can. Ref. ac Confirm.

1 *Si majori posito, aliquando non fiat majus compositum, probabile est, id tale non esse materiam talis compositi.* 2 *Et, Si ubi & quando aliquid majus ponitur, majus fieri solet compositum; tale absolutum probabile est esse materiam talis compositi.*

Ex. Refut.

Si Crystallus generatur ex glacie, utique copiosiùs generetur semper in frigidioribus regionibus: at non ita est. E. non videtur generari ex glacie.

Ex. Confirm.

Quando plures halitus humidi & frigidi, in mediam aeris regionem subvehuntur, plures nubes ibidem generantur. E illi sunt materia nubium.

Quibus anni temporibus major copia halituum calidorum, et siccorum gignitur; plures, ac vehementiores venti spirant. E.

II.

A Minori. *Num hac materiâ minùs copiosâ existente, minùs fiat hoc compositum, nécne.*

Can. Ref. ac Confirm.

1 *Cujus minus, non est materia minoris*

ris compositi, id tale non est materia talis compositi. 2 Et, Si aliquo minore existente, compositum minus fit, tale est materia talis compositi.

Exempla facilè colligi possunt ex prioribus, mutatis mutandis.

III.

A Pari. *An hujus par sit materia paris compositi, ánnon.*

Can. Ref. ac Confirm.

1 *Si unum Parium non est materia unius parium compositorum, neque alterum materia erit alterius. 2 Et, Si unum eorum est materia unius; alterum quoque erit alterius.*

Hujus Loci à Paris materiâ, usus rarior est. Itaq; Exempla missa facio.

IV.

A Simili. *Nunquid hujus simile, alterius similis compositi, materia sit, ánnon.*

Can. Refut. ac Confirm.

1 *Si unum similium non est materia unius similium compositorum, neque alterum erit materia alterius compositi. 2 Et, Si unum est, alterum item erit. Nam similium similes sunt materiæ.*

Ex. Refut.

Ex. Refut.

Cometa non videtur constare ex materiâ cœlesti. Ut quidam opinantur. *Etenim alia similia meteora ignita, ut, Fax, Bolis, Trabs, &c. non constant ex materiâ cœlesti, sed elementari.*

Ex. Confirm.

Sicut tophi in aquis, itémque in æreis balneorum vasis, ex crassâ, et terreâ materiâ generantur: ita ex cruditatibus gignitur calculus renum. Ut medici disserunt.

Si Mus non semper ex parentum semine, sed è quisquiliis in navi: sic in aere, ranæ, haud ex ovo, sed ex aquâ genitali, cœlesti calore condensatâ, conformatâque. Scaliger Exercitat. 323.

Artic. V. Loci à Comparatis in probabilitate.

Nonnunquam materia examinari potest à Comparatis in Probabilitate.

I.

A materiâ magis probabili.

Can. Refut.

Quod non est materia ejus cujus magis videtur esse, id minus videtur esse materia illius cujus minus videtur.

Ex. Refut.

Leones, elephantes, aliáque perfecta animalia bruta, nunquam, naturæ vi, generantur ex putri materiâ. Nedum Homo ex eâ sic generari potest. Ut Avicenna lib. de Diluvio, aliíque nonnulli philosophi putârunt.

Cæterùm, ab eo quod magis videtur, argumentatio duci non potest ad confirmandum id quod minùs videtur.

II.

II.

A materiâ minùs verisimili.

Can. Confirm.

Si quòd minùs videtur esse materia alicujus compositi, tamen est materia; etiam illud quod magis videtur, materia erit.

Ex. Confirm.

Aliquando in mediâ aeris regione, ex halitibus procreata sunt metalla. Multò igitur magis credibile est, metalla in terræ visceribus, ex halitibus generari posse. Hoc ipsum argumentum, paulò aliter efformatum, legere licet apud Colleg. Conimbric. in Meteor. tract. 13. cap. 1. Ubi antecedens probatur historiis metallorum, & massarum lapidearum venis metallicis infectarum, quæ è nubibus deciderunt: qualis nimirum solet esse lapis, qui fulmineus vulgò dicitur.

Hic autem Locus à minùs verisimili ad magis, non valet ad refellendum.

III.

A materiâ æquè verisimili.

Can. Refut. ac Confirm.

1 *Si unum eorum quæ æquè videntur materia, non est materia unius compositi, neque alterum alterius materia erit.*

2 *Et, Si unum eorum est materia unius, etiam alterum æquè videtur esse materia alterius.*

Ex. Refut.

Si margaritæ gignuntur ex rore, non minùs verisimile est,

est, conchas earum, ex eodem gigni; cùm eadem sit materia utriusque. At testæ non generantur ex rore. E. neq; margaritæ. Ut Plinius, aliique tradunt.

Ex. Confirm.

Lapides viles & vulgares ex succo lapidescente concrescunt. E. & gemmas ex puro & perspicuo halitu, seu liquore gigni æquè verisimile est. Par enim utriusque ratio videtur.

Artic. VI. Loci materiæ compositi è binis ipsius cognatis.

I.

Ab utrâque contrariâ materiâ positâ.

Can. Confirm.

Quo posito, aliquod compositum fit; & contrario posito contrarium compositum; illa videntur esse horum materia.

Ex. Confirm.

Ubi & quando calidi halitus existunt, generantur calida meteora, ut fulmina, &c. & è contrario, positis frigidis exhalationibus, gignuntur frigida meteora; ut, nubes, pluvia, &c. E. illa sunt materia calidorum meteororum; & hæc frigidorum.

II.

A materiâ Majori, & Minori.

Can. Confirm.

Quo majori posito, aliquod compositum majus fit; & minori, minus; probabile est id tale esse talis materiam.

Ex. Confirm.

Ex Confirm.

F Ex maximis montibus, plurimi, maximíque fontes, & flumina oriuntur; & ex minoribus, pauci, & parvi. E. fontes ex aëre in montium cavernis, frigore in aquæ guttulas condensato generari putandum est.

Hactenus de Examine Materiæ.

CAP. V.



CAP. V.

DE FORMA EXAMINANDA.

SECTIO I.

LOCI A SPECIALIBUS Affectionibus Formæ.

Articulus I.

Loci à Conditionibus Formæ, ut possit caussare formaliter, seu informare.

Materiæ Examine modò explicato, reliqua est altera caussa externa, quæ est Forma.

LOCI EXAMINANDI Formam sunt.

I. A Conditionibus Formæ prærequisitis, antequam caussct formaliter. 1 *Quòd debeat esse finis propter quem agens disponit materiam.* 2 *Ab inexistentiâ in materiâ, & composito.*

II. Ab affectionibus formæ ſpecialibus non prærequiſitis: ut,

1 *A non poſitione in materiâ, & non conſtitutione compoſiti in ſpecie.* 2 *A poſitione in materiâ congruâ.* 3 *A coaleſcentiâ cum materiâ, in unum per ſe compoſitum.* 4 *A ſublatione formæ, & compoſiti.* 5 *Ab interitu formæ, diſſoluto compoſito.* 6 *Ab unitate formæ eſſentialis in uno compoſito.* 7 *A formæ imperfectione præ compoſito.*

III. Ab officiis formæ: ut, 1 *A tributione eſſentiæ perfectæ compoſito.* 2 *A tributione differentiæ conſtitutivæ compoſito.* 3 *A diſtinctione compoſiti ab omnibus aliis, à priori.* 4 *A primariâ tributione omnium operationum compoſito.*

IV. Loci formæ ſubſtantialis: 1 *Quòd ſit ſubſtantia.* 2 *Ab inſenſibilitate.* 3 *Ab invariabilitate.* 4 *Ab unitate in uno compoſito.* 5 *Quòd non habeat contrarium.* 6 *A tributione perfectionis compoſito naturali.*

V. Loci formæ compoſiti è pluribus ejus affectionibus: 1 *A poſitione in materiâ*

materiâ congruâ, & sublatione. 2 *A tributione composito essentiæ perfectæ, & distinctionis, aut operationis: aut ab eis tribus simul.*

LOCI A COGNATIS FORMÆ.

I. A formis Inferiorum compositorum: ut, 1 *A Specie Formæ ad generalem.*

2 *A Singularibus Formæ ad specialem.*

II. A Formâ Contrarii compositi.

III. A Comparatis Formæ: ut, 1 *A Pari.* 2 *A formâ rei similis.*

Locus I.

A fine propter quem agens disponit materiam. *Et, An hæc sit ille finis, ánnon.*

Can. Refut. ac Confirm.

1 *Forma est finis generationis.* Sive, *est finis propter quem agens disponit materiam.*

2 *Et, Quod est finis generationis, est compositi forma.*

Sive, *Propter quod agens disponit materiam, id est compositi forma.* Scholastici aiunt. *In omnibus, quæ non à casu generantur, necesse est formam esse finem generationis*

rationis cujuscunque. Quod desumptum est ex Aristotele 2. Phys. text. 77. ubi inquit, *Quid est, & cujus gratiâ, esse unum*. Quod idem repetit 1. de Generat. ac Corrup. t. 55. & 5 Metaphys. c. 24. ac consimiliter ait 2. de Generat. & Corr. c. 9. t. 51. Nimirum, agens disponit materiam, ut in eam introducat formam.

Ex. Refut.

Finis generationis Hominis, non est figura seu forma externa corporis humani. E. ea non est caussa formalis hominis.

Ex. Confirm.

Architectus disponit lapides, ligna, aliáque, ut in ea idoneam domus figuram introducat. Et ea est forma domus.

Sol limum, aut aliam putrem materiam disponit ad animam muris introducendam. E. ea anima est forma muris generati.

II.

Ab inexistentiâ in materiâ, & composito. *Et, Annon inexistat hæc in hac materiâ, & composito.*

Can. Refut.

Forma inexistit in materiâ, & composito.

Vel, *Forma debet esse intimè præsens cum entitate materiæ.* Quæ præsentia est conditio formæ adeò necessaria, ut sine eâ (ait Suarez 1. Tom. Metaphys. Disput. 15. sect. 6. num. 4.) etiam de potentiâ Dei absolutâ, non possit Forma suum effectum præstare. Quis enim intelligat formam substantialem loco distantem à corpore, componere substantiam per se unam. Quæ quidem præsentia, & propinquitas formæ cum materiâ, non est localis præsentia, sed aliquid distinctum

distinctum ab illâ, ac necessariò præter ipsam requisita, ut fiat compositio materiæ & formæ per intimam unionem. Atque hæc actualis unio formæ ad materiam, est ipsamet Caussalitas actualis formæ: quia positâ hac unione, forma necessariò suam exercet caussalitatem: positis autem omnibus aliis, & ablatâ unione, impossibile est formam eam exercere.

Ex. Refut.

Cœlum non informatur ab intelligentiâ. Ea enim in materiâ, nullo modo est. Alia igitur forma quærenda. Scaliger Exercitat.61.sect.1.

Artic.II. Loci ab affectionibus formæ specialibus, non prærequisitis.

I.

A non positione in materiâ, & non constitutione compositi in specie. *Utrùm hoc non posito cum materiâ, compositum constituatur in specie, ánnon.*

Can. Refut. ac Confirm.

1 ***Sine formâ positâ in materiâ, compositum non constituitur in specie.*** 2 ***Et, Sine quo posito in materiâ, non constituatur aliquod compositum in specie, id est hujus forma.***

Ex. Refut.

Si non ponerentur intelligentiæ cum orbibus cœlestibus, illi tamen suas haberent formas, quibus in specie constituerentur. Quare intelligentiæ non sunt illorum formæ.

Ex. Confirm.

Si elementa considerantur, quatenus elementa sunt, & subjecta mistionis; eâ ratione eorum primæ qualitates sunt

illorum formæ constitutrices. Quia sine his, corpora illa non essent elementa. Sic aliqui philosophi ratiocinantur, & inter eos Zabarella.

Forma Mundi est pulcherrimus ordo, seu ordinata series corporum naturalium. Nam sine illo ordine non esset Mundus.

II.

A positione in materiâ. *Num hoc posito in hac materia, hoc compositum constituatur in specie, nécne.*

Can. Refut. ac Confirm.

1 *Positâ formâ in materiâ congruâ, necessariò fit compositum.*

Aliàs, non necessariò ponitur formatum: cùm enim anima humana egreditur è corpore humano per mortem, unitur ad partes aëris; nihilominùs ibi non fit homo: quoniam aër non est materia idonea animæ humanæ.

2 *Et, Quo posito in materiâ aliquâ, necessariò fit aliquod compositum, id est ejus forma.*

Ex. Refut.

Positâ figurâ humanâ in humano corpore, non necessariò fit homo. Ut liquet in cadavere hominis. *E. ea non est forma hominis.*

Si anima rationalis ingrederetur in corpus equinum; tamen ibi non fieret homo. Quia sic non poneretur in congrua materia.

Ex. Confirm.

Positâ animâ rationali in corpore humano, necessariò fit homo. E. illa est forma hominis.

In maßam argenteam idoneæ molis, inductâ figurâ

idoneâ

idoneâ poculo, necessariò fit poculum. Illa igitur est forma poculi.

III.

A coalescentiâ formæ cum materiâ, in unum per se compositum. *Et, Utrùm hæc cum hac materiâ, in hoc coalescat compositum, nécne.*

Can. Ref. ac Confirm.

1 *Forma unà cum materiâ in unum coalescit compositum, per se.* 2 *Et, Quod unà cum materiâ, in unum quoddam per se coalescit compositum, id est ejusdem compositi forma.*

Ex. Refut.

Intelligentia est quid per se, & completum in suâ specie: ac proinde non potest in unum per se cum Cœlo quod movetur, coalescere. Non igitur est ejus forma constituens. Sic aliqui philosophi disputant adversus Capreolum, Mirandulan. aliósque.

Ultima unitas non est forma numeri. Nullus enim in rebus est ordo, nulláve unio inter has unitates potiùs, quàm inter alias. Suarez Metaphys. disput. 41. sect 4. num. 14.

Ex. Confirm.

Anima rationalis cum corpore humano in unum per se coalescit compositum. Itaque ea est forma hominis.

IV.

A sublatione formæ & compositi. *Num hoc sublato, tollatur hoc compositum, nécne.*

Can. Ref. ac Confirm.

1 Formâ ſublatâ, immediatè tollitur compoſitum. 2 Et, Quo ſublato, aliquod compoſitum immediatè tollitur, id eſt hujus forma.

Aliqui ſic formant Canonem Confirmationis, *Quo ſublato, res tollitur, id eſt forma rei.* Itaque aiunt ultimam unitatem in numero, eſſe formam illius numeri: quia eâ ſublatâ, v.g. ex ternario, deſinit ternarius. At verò citra limitationem non eſt verum illud axioma. Nam primò ſublatâ parte principali, ut capite, vel corde, tollitur homo, tamen ea non eſt hominis forma. Secundò, ſublatâ totâ materiâ, etiam tollitur ſpecies: & tamen materia non eſt, forma. Tertiò, ſublatis propriis, tollitur res, quæ tamen non ſunt formæ. Sed illud forma eſt, quo ſublato, res proximè tollitur: cæteris autem ſublatis, remotè tollitur compoſitum: quoniam inter illa ſublata, & compoſitum, tollitur forma.

Ex. Refut.

Sublatâ potentiâ intellectus, non immediatè tollitur homo. Ea ergo non eſt forma hominis.

Ex. Confirm.

Deſtructâ figurâ navis, immediatè deſtruitur navis. Itémq; eſt in aliis rebus artificialibus. E. illæ figuræ ſunt harum rerum formæ.

Si oculus eſſet animal, utique aſpectus eſſet ejus anima: hic enim eſt eſſentia oculi (ἡ κατὰ λόγον) Oculus enim eſt materia aſpectus: quo deficiente, non eſt oculus, niſi homonymως; quemadmodum lapideus, & pictus. Ariſt. 2. de Animâ c.1.t.9.

V.

Ab interitu formæ diſſoluto compoſito.

posito. *An hæc permaneat post hujus compositi dissolutionem.*

Can. Refut.

Forma perit dissoluto composito.

Exceptâ solâ formâ humanâ: quæ est anima rationalis.

Ex. Refut.

Sublatâ primâ, vel secundâ unitate, in numero ternario, destruitur ille numerus: & tamen permanere potest unitas illa, quæ fuit ultima. E. ultima unitas non est forma numeri.

VI.

A formæ imperfectione præ composito. *Estne hæc perfectior hoc composito?*

Can. Refut.

Forma est imperfectior suo composito.

Compositum enim omne perfectius est suâ formâ: quoniam illud includit in se, quicquid est perfectionis in formâ; & aliquid ampliùs. Atque forma est propter compositum, tanquam propter finem proprium, ac præcipuum. Hujusmodi autem finis perfectius quid est eo quod ad finem ordinatur: ut multis locis docet philosophus.

Ex. Refut.

Intelligentia sive angelus, si quis movet aliquam sphæram cœlestem, est eâdem perfectior ac nobilior. E. non est ipsius forma propriè dicta, seu informans.

Artic.III. Loci ab Officiis formæ. Sive, ab iis, quæ forma tribuit composito.

I.

A tributione essentiæ perfectæ composito. *Et, Num hæc res huic eam tribuat, ánnon.*

Can. Refut. ac Confirm.

1 *Forma tribuit essentiam completam composito.*

2 *Et, Quod tribuit essentiam perfectam alicui, est ejus forma.* Sive, *Id est forma rei, per quam res est id quod est.*

Canon Refutationis variè effertur: ut, *Forma dat esse rei specificum. Forma est essentiæ, seu quidditatis ratio.* Quod docet philosophus 2. Phys. c. 2. *Forma constituit rem in suo esse. Forma est principium essendi, & facit esse.* Item, *Res per formam in certo gradu entium constituitur.* Quapropter Aristoteles formam vocat, ἐντελέχειαν, 2. de Anima c. 1. Et λόγον τῆς οὐσίας, 1. Post. 11. & 2. Phys. 3. & 5. Metaph. 2. Item, οὐσίαν τοῦ πράγματος, *rei essentiam*, 1. de generat. animal. c. 1. Necnon λόγον εἰδικὸν, καὶ οὐσιώδη, καὶ τὸ τί ἦν εἶναι; *rationem specificam, & essentialem, & ipsum quid sit.* Hoc enim officium est formæ propriè dictæ, tribuere rei essentiam completam, seu rem in certâ specie constituere. Quo nulla certior est veræ formæ nota & indicium.

Ex. Refut.

Figura hominis non facit eum esse hominem. Ut liquet

in

in homine mortuo: qui non eſt homo, niſi æquivocè. *E. ea non eſt forma hominis.*

Intelligentia non confert eſſe ſubſtantiale ſuo orbi, ipſúmque conſtituit in ſpecie. Quippe qui formam aliam ſibi propriam habet, quæ id ipſi confert. *E. intelligentia non eſt forma ſui orbis.* Contra ſententiam Capreoli in 2.d. 9.q. 1. art. 2. & Mirandulan. lib. 21. de everſione certam. alióſque.

Ex. Confirm.

Anima rationalis tribuit homini eſſentiam perfectam ejus. E. ea eſt forma hominis.

Mediocritas virtutem moralem in ſpecie conſtituit. E. virtus in mediocritate formaliter conſiſtit.

Quòd unitas ſit forma numeri, manifeſtum eſt: quòd ipſa addita variat ſpeciem, & affectum ſpecici, par, impar. Scaliger Exercit. 26. ſect. 5. Atqui hanc ſententiam, quæ etiam Thomæ eſt, multi impugnant, & inter eos Suarez, eo argumento, quod ſuprà ex eodem attulimus, hoc cap. artic. 2. loco 3. Cui nos aſſentimur.

II.

A tributione differentiæ conſtitutivæ compoſito: Vel, ab eo unde differentiâ illa ſumitur. *Et, An hæc eam huic tribuat, nécne.* Vel, *Num differentia conſtitutiva à propoſitâ formâ ſumatur, ánnon.*

Can. Refut. ac Confirm.

1 *Forma dat differentiam conſtitutivam compoſito.*

Vel, *Differentia eſſentialis ſumitur à formâ rei.* Quod axioma traditum eſt à philoſopho 8. Metaphyſ.

2 Et,

2 *Et, Id à quo rei differentia constitutiva sumitur, est ipsius forma.*

Ex. Refut.

Cùm animal dividitur in rationale, & irrationale; irrationale non sumitur à formâ bruti animalis. E. anima irrationalis non est illius forma.

Ex. Confirm.

Differentia constitutiva animalis, quæ est sensibile, sumitur ab animâ sensitivâ. E. ea anima est forma animalis.

Differentia sumitur à formâ rei. Sed differentia constitutiva hominis, est rationale: quod dicitur de homine ratione intellectivi principii. Intellectivum ergo principium est forma hominis. Thomas 1.p.q.76.artic.1.

III.

A distinctione compositi ab omnibus aliis, à priori. *Num hæc res hoc compositum ita distinguat, ánnon.*

Can. Refut.

Forma distinguit rem ab omnibus aliis, à priori.

Sive, *A formâ omnis distinctio, & determinatio rei provenit,* ait Zabarel.lib.de constit. individ.c.5. & de nat.Coeli c.4. Hoc etiam officium formæ est, & à priori illo dependens, quod fuit, tribuere esse rei. Si enim forma dat esse, dat etiam unitatem; ac proinde distinctionem: quoniam unitas importat distinctionem à quovis alio. Observandum autem distinctionem esse duplicem: alia námque sumitur à priori; alia à posteriori: quomodo elementa per qualitates, & loca distinguuntur; individua per accidentia, &c. forma verò distinguit rem à re, à priori, seu essentialiter:

tialiter: nimirum dando ultimum esse rei.

Can. Confirm.

2 *Quod distinguit aliquid ab omnibus aliis, à priori, id est ejus forma.*

Idem enim est principium essendi, & distinguendi.

Ex. Refut.

Summus calor in igne, non distinguit ignem ab aliis elementis, à priori: nam est naturâ posterior igne. *E. ille non est forma ignis.* Ut quibusdam videtur.

Ex. Confirm.

Anima rationalis distinguit hominem ab aliis omnibus: idque à priori. E. ea est forma hominis.

IV.

A primariâ tributione omnium operationũ composito. *Num hæc sit earum primarium principium in hac re, nécne.*

Can. Refut.

1 *Forma est primarium principium omnium operationum in composito.*

Aristoteles 1. de Generat. context. 55. & lib. 2. text. 53. *Materiæ,* inquit, *est moveri, & pati: movere autem & operari, est formæ.* Non autem existimandum est, omnem formam dare operationem composito. Nam quantitas, tanquam abstractum; est quanti, tanquam concreti forma: & tamen quantitas nullam dat quanto actionem, quà tale est. Intelligitur ergo axioma, hoc sensu, quòd forma, & nulla alia res sit originale, sive primarium principium operationum in composito. Consule, si vis, Thomam, 1. p. q. 76. art. 1. Dictum est formam esse primarium principium: quia qualitates etiam sunt principia operationum

tionum in composito; sed secundaria, & instrumentalia. Et quoniam qualitates, & partes integrales sunt instrumenta formarum, iccirco eorum operationes primò & primariò referuntur ad formam. Unde ait Scaliger 2.de plant.p. 332. *A qualitate sunt actiones tanquam ab instrumento: à certâ verò formâ, tanquam (principio) perficiuntur.* Itémque 2. de plant. p.462. *Forma est ille imperator, cujus imperio pareant alia, cujúsque ex præscripto res tota agatur.* Et similiter p.469.

Can. Confirm.

2 *Primarium principium operationum in quovis composito, est forma ipsius.*

Nam præter formam nihil est, quod originalis operationum caussa esse possit: quia nihil agit, nisi per actum, & formam. Idem Canon aliter effertur: ut, *Illud quo primò aliquid operatur est forma ejus cui operatio tribuitur.* Apud Thomam 1.p.q.76. artic.1. corp. Item, *Principium operationum cujuslibet rei naturalis, oportet esse ejus formam.* Apud Colleg.Conimbric.ad 2.de Anima c.1. artic.2. 2.conclus. Hoc ergo infallibile signum formæ à quibusdam vocatur.

Ex. Refut.

Primæ qualitates non sunt primarium, & originale, principium operationum elementorum. Non igitur illæ sunt elementorum formæ. Ut nonnulli statuunt.

Calor innatus, aut spiritus, non sunt primarium principium in ullo animante: sed secundarium, & instrumentale. E. neutrum illorum est forma illius in quo inest.

Ex. Confirm.

Anima est id quo primò vivimus, sentimus, movemur, & ratiocinamur. E. anima est forma viventis, sentientis, moventis, & ratiocinantis. Ita argumentatur Aristoteles 2. de Anima context. 2.4.

Propria operatio hominis, in quantum est homo, est intelligere;

telligere ; ſed ejus operationis principium eſt anima ratio- nalis. Ea igitur eſt forma hominis. Thomas 1. part. qu. 76. art. 1. cor. Quo ipſo argumento complures alii Theologi & Philoſophi utuntur.

Artic. IV. Loci formæ ſubſtantialis.

Nomine ſubſtantialis formæ nihil aliud ſignificatur, quàm ſubſtantia quædam partialis, quæ ita unitur materiæ, ut cum illâ componat, & conſtituat ſubſtantiam integram, & per ſe unam : ut anima rationalis, quæ cum corpore humano unita conſtituit hominem. Quoniam autem formæ ſubſtantiales nullo experimento cognoſci poſſunt, dubitari poteſt, utrùm illæ dentur, necne. Quas plerique antiquorum philoſophorum ignorârunt. Nonnulli etiam è poſterioribus philoſophis, ſaltem in elementis negârunt : & priùs tenuit eandem ſententiam Galenus lib. 1. de Elementis : & ante eum idem ſenſit Empedocles, qui miſtorum formas non negavit, ſed elementorum : ut ſignificat Ariſtoteles 1. Phyſ. context. 51. & 2. Phyſ. text. 22. Sed jam receptum eſt apud omnes ferè philoſophos, cunctas res naturales corporeas conſtare formâ ſubſtantiali, præter materiam, tanquam principio intrinſeco, & cauſſâ formali. Quæ ſententia eſt etiam Ariſtotelis innumeris in locis: qui ſæpe reprehendit veteres philoſophos, quòd fere prætermiſſâ ſubſtantiali formâ, omnem inquiſitionem circa materiam adhibuerint : ut conſtat ex toto lib. 1. Phyſ. & ex lib. 2. cap. 1. Ubi formam perfectiorem naturam dicit eſſe quàm materiam. Idem habet 1. de part. animal. c. 7. & 7. Metaphyſ. c. 4. & lib. 12. c. 2. ubi vocat formam, *hoc aliquid*, quia complet ſubſtantiam, quæ eſt hoc aliquid : & lib. 7. Metaphyſ. vocat formam, *quod quid eſt :* & rationem reddit, quia ipſa eſt quæ conſtituit, & diſtinguit rerum eſſentias.

Prætermitto

Prætermitto alios locos eôdem pertinentes. Sed & ante Ariſtotelem, ſubſtantialem formam agnovit Plato, ut conſtat ex Timæo. Et ante Platonem nonnulli philoſophi creduntur ſubſtantiales formas attigiſſe : ut conſtat ex Ariſtotele 1. de part. animal. c.1. & 2. Præterea, rationibus probari poteſt, in quâvis re naturali, præter materiam, dari formam aliquam ſubſtantialem, quæ prior ſit naturâ omnibus accidentibus : nam partes ſubſtantiæ ipſæ etiam ſunt ſubſtantiæ. Et ſi res tantùm è materiâ conſtarent, omnium eadem eſſe eſſentia, & operatio, & nulla vera inter eas diſtinctio. Etenim ab accidentibus vera eſſentiæ, & operationum diverſitas peti non poteſt. Actus enim & perfectio eſſentialis rei, unde ſumitur differentia, ad idem genus pertinet, in quo res ipſa ponitur : vel nullum imperfectum in aliquo genere, perficitur in illo genere, niſi per aliquid illius generis. Materia ergo cùm ſit imperfecta ſubſtantia, & perficiatur in compoſito ; per aliam ſubſtantiam, i.e. formam perficietur. Adhæc, ipſa diverſitas accidentium, & operationum, undénam eſt ? Cur ignis non frigidus, ſed calidus ? Non ob materiam, hæc enim nihil agit, nullámque diſtinctionem parit ; ſed eſt planè inefficax : igitur quid nobilius præſupponendum eſt. Denique, ſi forma rei naturalis eſſet accidens, nulla rerum daretur generatio, ſed tantùm alteratio. Dantur igitur formæ ſubſtantiales. Eandem ſententiam pluribus rationibus confirmatam legere licet apud Metaphyſicos, & Phyſicos, qui hanc quæſtionem tractant : & imprimis apud Suarez 1. Tom. Metaphyſ. Diſput. 15. ſect. 1. Examen igitur ſpeciale formarum ſubſtantialium, hoc Articulo ſeorſum trademus : priores autem formæ Loci, ac Canones fere generaliores ſunt, & aliis etiam formis conveniunt.

I. *Primò*

I.

Primò examinandum est, an accidens aliquod statuatur forma rei naturalis corporeæ propositæ.

Can. Refut.

Forma rei naturalis corporeæ, est substantia.

Sive, negativè: *Nullum accidens est forma rei naturalis corporeæ.* Non autem item rei artificialis compositæ: nam hujus forma semper est accidens: ut, ensis, ejus figura propria; & domus, apta dispositio materialium partium ipsius.

Ex. Refut.

Lux Solis, aut alterius stellæ, est accidens. Non ergo est forma substantialis Solis, aut stellæ.

In his quæ univocè dicuntur, quod uni est accidens, alteri non potest esse substantia. At primæ qualitates univocè dicuntur in simplicibus, & mixtis; & in mistis, sunt accidentia. E. in elementis, substantiæ esse nequeunt; nec proinde substantiales formæ. Est Averrois syllogismus.

II.

Ab insensibilitate. *Et, An hæc percipiatur sensu, per se.*

Can. Refut.

Nulla forma substantialis est per se sensu perceptibilis.

Quia qualitatibus, quæ sunt objecta sensuum, non est prædita.

Ex. Ref.

Ex. Refut.

Summus calor ignis sensu tactus percipitur. E, non est ignis formâ. Ut quidam opinantur.

Lux astrorum aspectu percipitur. Non igitur est astrorum forma. Ut nonnullis videtur.

III.

Ab invariabilitate: sc. juxta gradus intensionis, & remissionis. *Num hac varietur gradibus.*

Can. Refut.

Forma substantialis est invariabilis gradibus.

Sive, *Forma substantialis caret intensione, ac remissione:* seu, *non suscipit, magis, ac minis.* Ut effert Thomas. Hinc illud vulgatum, *Forma consistit in indivisibili.* Quod desumptum ex Aristotele 7. Metaphys. text.7. Ubi formam comparat numero; cui sive addas, sive demas aliquid, non manet idem qui ante erat: forma enim est substantia per se, omnis quantitatis, dimensionis, & divisionis expers: fit autem quanta per accidens, quatenus in materiâ inhæret: ad cujus extensionem, & divisionem extenditur, & fit divisibilis.

Ex. Refut.

Primæ qualitates suscipiunt magis, & minùs. E. illæ non sunt elementorum formæ substantiales. Sic quidam philosophi disputant adversus Philoponum, Alexandrum, & Ammonium.

Substantia, & forma substantialis, nullam patitur sui remissionem, aut intensionem. Quam tamen lux passim admittit. Lux ergo non est forma astrorum.

IV.

IV.

Ab unitate formæ ſubſtantialis in uno compoſito. *Num aliud quid ſit forma ſubſtantialis hujus rei.*

Can. Refut.

In uno compoſito naturali eſt unica forma ſubſtantialis.

Vel, *Unius rei una tantùm forma eſt ſpecifica.* Vel negativè, *Formæ plures ſpecificæ non poſſunt in unâ eâdémque materiâ, & compoſito ſubſtantiali ſimul conſiſtere.* Probantur ſupradicti Canones, ſive Canon potiùs, ex ſufficientiâ cujuſvis formæ ſubſtantialis: quæ neceſſariò talis eſt, ut per ſe ſola ſufficiat ad conſtituendum unum ſubſtantiale compoſitum completum, in ultimâ ſpecie ſubſtantiæ: ergo non ſolùm non requirit aliam formam concauſſantem illum effectum; verùm etiam neque illam admittere poteſt. Itaque non poteſt res aliqua ſimul eſſe ſub diverſis ſpeciebus ſubſtantiæ: ut non poteſt aliquid ſimul eſſe homo, & equus; neque eſſe ſimul aër, & aqua. Plures rationes ad idem comprobandum, videre eſt apud Suarez Metaphyſ. 1. Tom. Diſp. 15. Sect. 10. & alios Metaphyſicos. Idémque docent Scholaſtici, & inter eos Thomas.

Ex. Refut.

Duæ formæ ſubſtantiales non poſſunt in eâdem materiâ conſiſtere. At in aere propriam formam retinente, excipitur lux à Sole, & aſtris diffuſa. Quapropter lux Solis, aut aſtrorum, non eſt eorum forma. Sic quidam philoſophi differunt.

V.

A carentiâ contrarii. *Et, Num hæc habeat contrarium.*

Can. Refut.

Formæ ſubſtantiales non ſunt contrariæ.

Quod axioma frequens eſt apud Scholaſticos.

Ex. Refut.

Summus calor ignis eſt contrarius ſummo terræ frigori. E. non eſt ignis forma ſubſtantialis.

VI.

A tributione perfectionis eſſentialis compoſito ſubſtantiali naturali. *Et, Utrùm hæc res huic eam tribuat, ánnon.*

Can. Refut. ac Confirm.

1 *Forma ſubſtantialis tribuit perfectionem eſſentialem compoſito ſubſtantiali naturali.*

Vel, *Eſt perfectio compoſiti ſubſtantialis, ſeu naturalis.*

Non autem quælibet forma accidentalis. Ut Thomas, aliíque Scholaſtici docent.

2 *Et, Quod compoſito ſubſtantiali naturali tribuit perfectionem eſſentialem, eſt ejus forma ſubſtantialis.*

Ex. Refut.

Figura corporis humani, aut potentia intelligendi, non tribuit homini perfectionem eſſentialem. E. non eſt ejus forma eſſentialis.

Ex. Con-

Ex. Confirm.

Anima rationalis tribuit homini perfectionem essentialem humanam. E. est ejusdem forma substantialis.

Artic. V. Loci formæ compositi è pluribus ejus affectionibus.

I.

A non positione, & positione.

Can. Confirm.

Sine quo posito in materiâ, aliquid non constituitur in specie; & posito, constituitur; id est ipsius forma.

Ex. Confirm.

Navis habet, suam formam, quâ est navis: eâque est figura illa ex lignorum compositione proveniens. Per hanc enim navis in specie constituitur; & sine hac, non esset navis. Zabarel.lib. de ment. human.cap.2.

II.

A positione, & sublatione.

Can.Confirm.

Quo posito in materiâ aliquâ, necessario constituitur compositum; & sublato, tollitur; id est illius forma.

Ex. Confirm.

Forma poculi quâ est poculum, nihil aliud est, quàm figura sua. Nam eâ inductâ in materiam poculo idoneam, ut argentum, vitrum, aut aliud; fit poculum, eadémque sublatâ, destruitur.

Similiter probari potest pulcherrimum illum ordinem, seu dispositionem omnium corporum naturalium, esse formam Mundi.

III.

III.

A conſtitutione in ſpecie, & diſtinctione à priori.

Can. Confirm.

Quod rem aliquam certâ ſpecie conſtituit, & ab aliis omnibus diſtinguit; id ejus forma eſt.

Ex. Confirm.

Id eſt vera cujuſque rei forma, quod rem certa ſpecie conſtituit, & ab aliis ſejungit. Atqui ita ſe habet anima intellectiva, reſpectu hominis. Eſt igitur vera ejus forma. Hoc ſyllogiſmo utitur Colleg. Conimbric. in 2. de Animâ, cap. 1.q.6.art.2. Idémque argumentum exſtat apud Zabarel. lib. de ment. human. Ubi etiam fusè probat, idem eſſe ipſius Ariſtotelis.

IV.

Nonnunquam ex tribus affectionibus conjunctis confirmatur forma: ut, A tributione eſſentiæ ſpecificæ, & diſtinctionis, & operationum.

Can. Confirm.

Quod dat alicui eſſentiam ſpecificam, diſtinctionem à priori, & operationes, id eſt ejus forma.

Ex. Confirm.

Homo & eſſentiam hominis, & diſtinctionem intrinſecam, & operationes, ſibi ut homini convenientes, habet ab ani[illegible]â rationali. E. ea eſt hominis forma. Sic aliqui philoſophi confirmant formam à tribus ejus officiis ſimul. Hactenus de Locis ab Affectionibus formæ.

SECTIO II.
DE LOCIS A FORMIS Cognatorum compositorum.

Artic. I. De Locis à Formis Inferiorum compositorum.

IN Caussâ formali examinandâ, sicut in scrutandâ, ut antè dictum, exiguus est usus Locorum à Cognatis formis: paucos tamen trademus, ut hæc quoque Sectio, sicut in prioribus caussis, addatur.

Locus I.

A Specie formæ ad generalem. *Num hujus generalis formæ species sint formæ specialium compositorum, an aliqua non sit.*

Can. Refut. ac Confirm.

1 *Si aliqua species generalis formæ propositæ, non sit forma specialis compositi, neque generalis erit forma generalis compositi.*

2 *Et, Si omnes species generalis formæ propositæ, sint formæ specialium, generalis erit forma generalis compositi.*

Ex.Refut. ac Confirm.

Summus calor non est forma ignis, quà ignis. E. primæ qualitates non sunt formæ elementorum absolutè, seu quà substantiæ sunt, aut corpora naturalia.

Mediocritas est formalis ratio seu formale Temperantiæ, Fortitudinis, & reliquarum virtutum moralium. E. mediocritas est ratio formalis virtutis moralis in genere.

II.

A Singularibus formis ad specialem. *Utrùm omnes singulares formæ hujus specialis, sint formæ singularium compositorum, an quædam non sint.*

Can. Refut. ac Confirm.

1 *Si omnia singularia hujus specialis formæ propositæ, non sint formæ singularium compositorum, hæc specialis non erit forma hujus specialis compositi.*

2 *Et, Si illæ omnes sint formæ, hæc quoque erit hujus generalis rei forma.*

Ex. Refut. & Confirm.

Lux Stellæ Caniculæ, non est ipsius forma. E. lux astrorum non est eorum forma.

Forma Socratis, Platonis, & uniuscujusque hominis, est sua singularis anima rationalis. E. anima rationalis est forma hominis.

Artic. II. A formâ contrarii compositi.

I.

An hujus contrarium sit forma alterius contrarii compositi, ánnon.

Can.

Can. Refut. ac Confirm.

1 *Si unum contrarium non est forma unius contrariorum compositorum, neque alterum erit alterius.*

2 *Et, Si unum est, alterum quoque erit.*

Ex. Ref. ac Confirm.

Summus calor non est forma ignis. E. è contrario, neque summum frigus est forma terræ.

Mediocritas est formale virtutis moralis. E. immediocritas, vitii.

Artic. III. A Comparatis formæ.

I.

A Pari, vel æquè verisimili. *Num par hujus, sit forma alterius paris, nécne.*

Can. Refut. ac Confirm.

1 *Si unum parium non est forma unius compositi, neque alterum videtur esse forma alterius.*

2 *Et, Si unum est, alterum quoque videtur esse.*

Ex. Refut. ac Confirm.

Lux Solis non est ipsius forma. E. neque lux Veneris, aut Martis erit illorum forma.

Figura poculi, & figura ensis, in idoneâ materiâ, æque videntur esse illorum formæ. Atqui illa est illius; E. & hæc hujus.

II.

A formâ rei similis. *Sitne hujus simile, forma rei similis, ánnon.*

Can. Refut. ac Confirm.

1 *Si unum similium non est forma unius similium compositorum, neque alterum erit forma alterius.*

2 *Et, Si unum eorum est forma, alterum similiter erit alterius.*

Ex. Ref. ac Confirm.

Ut lux stellæ Veneris, non est ejus forma: ita nec lux Mercurii erit forma ipsius.

Quemadmodum magnificentissimi alicujus Palatii, aut Templi forma, est ordinata dispositio lapidum, lignorum, &c. è quibus constitutum est: consimiliter Mundi forma est pulcherrimus ordo, seu series corporum naturalium, è quibus constat.

Hactenus de examine Formæ; adeóque omnium Causarum, dictum est.

Cap.



Cap. VI.

DE EXAMINE Effectuum.

Reliquum est, ut de modo examinandi rerum Effectus dicamus: quâ in re nos breves esse decet: quoniam Effectuum examinandorum ratio, non difficulter ex cognitâ doctrinâ examinis Caussarum, suprà traditi, colligatur.

Caussæ enim & Effectus in quolibet genere sunt correlata, & inter se mutuò correspondent, ut alterum dicatur alterius: ut, si hoc sit efficiens illius, illud est effectus hujus; si hoc sit Finis illius, illud est Medium, seu Destinatum hujus; si hoc sit Materia, illud est Materiatum; si hoc Forma, illud Formatum. Et, pariter correspondent Canones Refutationis, ac Confirmationis, cujusque Caussæ, & sui Caussati.

Examinandi sunt rerum Effectus, verine sint, necne; primò, ex Locis, ac Ca-

nonibus generalibus, i.e. Cauſſati in genere: deinde, ex ſpecialibus illius ſpeciei ſub quâ propoſitus effectus continetur.

Qui quidem generales Canones cauſſati, colligendi ſunt ex generalibus Cauſſæ in genere.

Ex. gr. Ut, *Omnis cauſſa eſt naturâ prior ſuo effectu: ita, Omnis effectus eſt naturâ poſterior ſuâ cauſſâ.* Ut, *Omnis cauſſa eſt ſimul tempore cum ſuo effectu:* Sic, *Omnis effectus eſt tempore ſimul cum ſuâ cauſſâ.*

Itémque ſpeciales effectuum Canones colligendi erunt ex ſpecialibus ſua cujuſque cauſſæ.

Ut, in Efficiente: *Qualis cauſſa, talis effectus.* E. *Qualis effectus, talis cauſſa. Nihil agit ultra ſuas vires.* E. *nullus effectus excedit virtutem ſuæ cauſſæ.* In Fine: *Finis eſt prior medio, in intentione; & poſterior, in executione. Igitur Medium eſt poſterius fine, in intentione; & prius in executione.* Et, *Quod eſt aliquo prius, in intentione; & poſterius, in executione, eſt illius finis. Quamobrem, Quod eſt aliquo poſterius in intentione, & prius in executione, eſt illius medium.*

In Materiâ: *Materia permanet poſt reſolutionem materiati.* Et, *Id in quod permanens poſt reſolutionem, diſſolvitur aliquod materiatum, eſt ejus materia.* Exceptâ formâ humanâ. E. *materiatum reſolvitur in ſuam materiam permanentem:* Et, *Quod diſſolvitur in aliquid permanens, eſt hujus materiatum.*

Denique in Forma. *Forma dat eſſentiam completam ſuo compoſito.* Et, *Quod alicui tribuit eſſentiam perfectam, eſt ejus forma.* E. *formatum accipit eſſentiam perfectam à ſuâ formâ.* Et, *Quod ab aliquo accipit ſuam eſſentiam*

perfectam,

perfectam, est ejus formatum. Par ratio est in cæteris omnibus Canonibus.

Exempla argumentorum Effectuum, non addo: propterea quòd facilè afferri possint; atque etiam peti queant ab Exemplis Caussarum in nostris earum tractationibus: mutando hæc in illa. Tantum igitur de Effectuum examinatione dixisse, sufficiat.

EPILOGUS.

Atque ita habes, studiose Lector, Methodum cognoscendi rerum Caussas, & Effectus, quomodocúnque explicatam. Cujus ego summam utilitatem jamdiu sum expertus, & compertam habeo. Non autem opus est ut mihi credas; tu enim ipse rem facilè ac citò potes experiri ac dijudicare. Neque tamen eam adhuc omnibus numeris absolutam credo; sed perfectiorem & utiliorem futuram spero, postquam erratorum à viris doctis (quos in calce operis iterum oro & obsecro) ero admonitus. Si quis autem in hac Methodo prava corriget, & addet necessaria quæ desiderantur, tum demum ea ad summum efferetur fastigium perfectionis. Id quod alii, ut

 opinor,

opinor, nostro excitati incœpto (ut in nobis usu venit) aliquando præstabunt. Facilius enim jam est hisce repertis adinvenire & adjungere quod reliquum est. Quo pacto artes & scientiæ omnes à pluribus auctæ sunt; & nulla unquam ab uno simul inventa & perfecta fuit. Spero autem non multa in hoc opere doceri necessaria, omissa esse: eáque facilius sit cuivis eadem supplere. Interim hanc lucubrationem, donec melior aliqua vel à meipso, vel ab alio prodierit, boni consulas; atque erratis in re tam arduâ ignoscas. Vale Lector, nec invideas, quin faveas conatibus eorum qui in tuam & publicam utilitatem advigilant & elaborant.

EFFICIENTI primo, & ultimo FINI Gratias.

FINIS.



ARmorum ſtrepitus inter, Martíſque furores,
Muſarum ſtudiis quis putet eſſe locum ?
Dum bellum civile arſit, nos ſcripſimus iſta ;
Quare ea cum veniâ qualiacunque legas.

*Ἄλλος τίς με κακῶς, ἄλλος ἄμεινον ἐρεῖ.

Iſte malè de me dicet, at ille bene.





ERRATA.

IN Præfatione pag. 3. lin. 26. lege disquireremus. p.9.l.4.Loci.p.16.l.24.publicæ.In Tract.L.I.C.1. p.11.statuam.p.29.l.1.dele Inveniendi Caussas.p.32. l.9. Investigationis singularum. p.37. l.3. careamus. pro pag.40.scribe 42.& l.11.post seu scribe non. pro pag.41.scribe 43. p.44.l.9.Efficientis.l.ult.scribe IV. p.50.l.penult.pro est scribe sunt. p.100.l.6.post potiantur scribe? Victoria.p.109.inter l.11.& 12.IV.p. 115.l.7.scribe quæ Sole sublato desinerent. p.119.& 121.utriúsq; pag.l.1.pro Effectuum scribe Formæ.p. 127.l.1.4Effectuum. l.21.à receptionel. 34.pro suum formatum scribe ex sua forma.p.136.l.17.illæ.p.138. l.1.pro I.scribe II.& pro VI.scribe I. l.10.scribe naturæ. p.139.l.25.inter E.& non scribe quies. p.140. l.1.pro VI.scribe I. p.142.l.1. pro I.lege II. pro V. lege I.p.170.l.5.pro unitate lege unitione.p.200.l.21. post tur scribe natura. p.201.l.27. dele Lunaris & scribe Solaris. l.29. post eclipsis scribe E. pag. 205.l. 18.exuperans. Lib.II. Cap.III.p.8.l.penult.dele eas, & post voluptatem scribe eas. p.22.l.6. post similem scribe in specie. p.23 l.3.post sed scribe solùm. l.29. post non scribe est. p.26.l.15. lege eadémque producta est.p.33.l.3.aliquod. p.46.l.12.sit finis. Post pag. 46.proximâ scribe 47. ejusq; l.15.dele propter.p.57. l.18. post inanimatis scribe inexistentibus. p.59.l.7. lege tollatur. l.14.dele efficiens conservans, aut. p.67. l.26.II.

ERRATA.

p. 4 Praefation. [illegible] lin. 16 [illegible] quaeramus.
[illegible]
pa. [illegible] p. 9 [illegible] Inventioni [illegible]
l. 9. Investigationis [illegible] p. 37 l. 9. curcamus.
pro pag. 40. lin. 12 & l. 11 post [illegible] pro
pag. 41 lin. [illegible] l. 9 [illegible] IV
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible] Detectionum [illegible]
[illegible] Detectionum l. [illegible]
[illegible] pag. 8. l. 17. [illegible] 198.
[illegible] l. 26 pro VI scribe l. [illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]